THECA GLADII SPIRITVS:

SENTENTIAS quasdam breves, vereque philoſophicas continens.



ARGENTORATI.

Impenſis LAZARI ZETZNERI.

ANNO M. DC. XVI.

L. S.

EX Adverſarijs Tobiæ Heſſij, viri pij, atq; in omni litteraturâ, verſatiſſimi, nunc inter ſanctos agentis, haſce ſententias eruimus, Candide Lector: quas (ut conijcimus) partim ex Libris manuſcriptis, partim prælo vulgatis excerpſit; partim etiam ipſi ſuggeſſit piarum obſervatio cogitationum, quibus cùm præſentẽ ſeculi noſtri faciẽ dijudicabat, tũ privatarum ſuarum calamitatum vincebat importunitatẽ. Vndè nunc ejulationes nũc exultationes, mox ſimiles geſtus, quibus Tentationum & patientiæ ſchola Auditores ſuos (non certè ex methodi Ariſtotelica lege) exercet,

inibi licet invenire: de ijs itaq; (precor) iudicium ferre desinat; qui in illâ palæstrâ non est assiduè versatus. Eiusmodi hîc desideramus Censitores, erranti qui non succenseant; & probè qui sciant errare humanum, condonare Christianorum esse. Sanè hæc, utcunq; sient, dignissima omninò multis visa fuêre, quæ ex naufragio Litterariæ supellectilis tanti viri, ad publicum Solem exsiccarentur, & omnium bonorum favori, candoriq; commendarentur.

Vale & fruere.

BIBLIA qui non amat, qui non 1
deperit, à piis amari non po-
test, à Deo non vult. Est enim
nunquàm fallibile signum,
terrena plus amari quàm cœlestia.

Christianus Cosmoxenus, humanæ qui- 2
dem infirmitatis miseriæque propago est;
sed commiserantis & prævenientis gratiæ
nova & regenerata creatura, tota præsentis
tolerans, futuri studiosa, terræ non hospes
solummodò, sed mortuus, ac nulla sui parte
accommodus: monstrum veluti, inter deri-
sores, sed Deo suo in delitiis, ac omninò ta-
lis cujus vita non hic, sed alibi vivitur: qui
gaudio non extrà, sed intrà exultat; cujus
scientia non foris, sed intus scitur; cujus vo-
to nihil mundo magnum, celebre, sublime,
streperum, delicatum expetitur; sed qui iis
solummodò satiatur, quæ præterea nemini
satisfaciunt, sed absentibus sperandis, cre-
dendis, & ut malignè improbi rident, ima-
ginariis acquiescit.

Incredibile dictu, homines ad perspectos 3
mundi exquisitissimos cruciatus redire ci-
tius: quàm tantillum ambitiosi cerebri, de-
licatæ carnis, consuetorum morum immu-
tare.

Christum durum, affligentem agnosca- 4

ſcamus: nevè moræ & crucis, infamiæque impatientes, mœrore, lachrymis, aut indignatione aliâ temerè extorquere auſimus; quæ ſponte tantùm unicam, ſed ſeriam vitæque conformem pœnitentiam ſequuntur: reditum in viam ſc:

5 Horret natura Chriſtiana tota, tantam hominum cæcitatem, ut agnitam veritatē; usque adeò loco habeat infimo, neque majoris eam faciat; quâ tamen Chriſtus detegitur, clavis quaſi cœleſtium & terreſtrium; quâ ad novam certiorem ſcholam, exactiorem, feliciorem vitam, ſolidiora, conſtantiora bona, jucundiorem, perfectiorem amicitiam, puriores, diuturniores voluptates, per exiguum laboris & crucis veluti UMBRAM vocantur, provocantur: verbis & argumentis variè varijs, fidè fidis.

6 Quicunque & ſecum abundè & cum moleſtâ deſideratiſſimarum rerum morâ, & cum hominum artificioſo ac ſevero riſu, ſimulque urgente præſenti & cathenatâ infelicitate conflictantur, delicatè non vivūt; ſed ope DEI momentanea opus habent, nec unquàm ita ſatis erigi poſſunt, quin abeſſe ſuum illum Chriſtum, vel ſaltem dormitare, non interdum ſaltem ſubdubitent.

Ita de infallibili DEI protectione perpetuò certum esse, ut in eâ, etiam sub ipsismet torcularis ponderibus acquiescamus; hoc verò aliquando gloria erit, & gratiam emerebitur. 7

Tempus abrodat, quicquid nullâ arte, nullo amore potuit; ut vel amarissimâ hujus vitæ nauseâ fractos, nescientes & invitos, Deo frustrà aliàs vocanti, quoquo modo politiores attrahat. 8

Vt amor malum omne milleque offensiones præponderat: ita condolentia vindictam aboleat. 9

Discenda vel inviti discamus. 10

Thesauri loco nobis sint qualescunque nostri profectus, quibus addat semper aliquid dies, nil detrahat. 11

Vulgato hominum itinere cœlum haud petitur, neque Christi dona, sordidorum & terrenis affectibus oppletorum animas unquàm ingrediuntur. 12

Quies apparens, securitas, jucunditas, felicitas, sæpè DEI donum non est; sed à sathanâ velut somnus immissus, velut insidiosi maris invitatio quæ facilime securis persuadent, mundum tam malitiosum aut infidelem non esse, qualem eum Christus descripsit. 13

14 Inter ebriorum ſtrepitus plenoque ventre, extra teli jactum nemo eſt.

15 Chriſtum propius repræſentemus; qui ſummè innocens, culpam tam luit duriſſimè quàm patientiſſimè.

16 Humana vox quicquid agat, Biblijs S. ſuccum, nervum, pondus, ſpiritum, myſteria extrahēdo, elumbat ac ſaltem extenuat. & enervum aliquid minimeque ut antea ſapidum relinquit: ita tamen nauſeantibus & delicatis, verbum Dei varijs condimentis & præmanſum quaſi in os ingeritur.

17 Biblia cui non ſufficiunt, Biblijs qui non toto corde acquieſcit, inque ijs exultat; quantùm à Deo abſit, facilè detegit: neque eo cibo, quo Sancti omnes & Angeli æternùm beatiſſimè vivunt, ſe paſci, ſed porcorum inſtar ſiliquis nutriendum eſſe, prodit.

18 Amor immutabilis, quocunque modo, aliorum afflictiones ſublevare tentat.

19 Non fulgentia, non corpori ullam ſecuritatem; ſed DEUM ſolum & animæ gloriam quæſiviſſe videamur in omnibus.

20 Malè habeamus, quandoquidem id magis conducit.

21 Homo animal ubique miſerabile; conſilijs cæcus, opibus vanus, appetitibus ſpurcus,

cus, desiderijs inconstans, deniqueubique minimus, nec unquàm nisi suâ opinione grandis.

Praxis stultitiæ & inopiæ Christianæ, à Christi asseclâ fortissimè & indesinenter exercenda. 22

Corpus deperditum assuefaciendum somno, cibo, vestibus, laboribus, silentio, patientiâ & liberalitate, ad novam obedientiam, quo in domicilio postmodùm ad Christum composito, anima melius sit habitura. 23

Otio & saginâ, nil ad obruendam & conculcandam animam præsentius & certius. 24

Nunquam inarescent probi ita, ut undique eis succus desit. Quare alter alterum semper juvemus Christiani, qui nunc potest faciat, paulò pòst alter poterit. 25

Meliùs habemus solliciti, quàm securi. 26

Blandum deinceps no decipiet eum, qui malignum reperit. 27

Qui cuncta nequit, cohibeat quantùm potest. 28

Mundus perniciter peribit prius, quàm justi expectatio. Non enim decipit qui promisit. 29

Homines ab se amoveant, quibus se re- 30

bus inimicos, profitentur; & postulata dantibus dabuntur quoque quæ petunt.

31 Nec ratio, nec patientia, nec eruditio, nec institutio, nec omne terrenum aliquid facere potuit, ubi non est Dei manus.

32 Scabies, fictitię magnitudinis præmium.

33 Silere æquum est eum, qui relata habet non inventa mysteria.

34 Posteritati infelicitatē multiplicat, quisquis semen infelix multiplicat.

35 Miser qui magna per pudenda quærit; sitque jure infamium primus, qui primus esse voluit curiositate, & summus inter irrationabiles.

36 Mali contra bonos malum coquunt, seipsos absumpturum.

37 Quid variè circumspicis, quem varia nihil emendant, sed contaminant?

38 Deum ne suspenditote, mundum ne intromittitote.

39 Sæpè consultissimum id nobis est, quod cum nostro magno dolore fit.

40 Hyems, tametsi universam terram tegit; eam tamen nemo odit agricola, nisi stultus.

41 Cur spiritualia in puncto petis, sciens rerum naturalium esse tempestivitatem?

Solli-

Sollicitus esse discit, apud homines habitans. 42

Merentur meritò & pariunt properè; 43
candor amorem, tractabilitas correctionem, desertio experimentum, timor memoriam, mutabilitas increpationem.

Maximè periculosa, quæ nobis inscijs & 44
imprudentibus imponuntur.

Crucem non ex delicato carnis sensu, sed 45
spiritus Christi, & obedientis animæ tolerantiâ metiamur.

Sathanas novam subinde personam in- 46
duens, nova nos quoque arma capessere jubet; & pro ipsius ausu ex Christi armamentario varianda variare.

Neminem malè habeat, quoties subdu- 47
ctâ cœlesti recreatione ad suæ imbecillitatis, nullitatis, miseriæque contemplationem admittitur.

DEUS delectatur animæ excellentiâ & 48
conflictu, non stupore.

In Christi voluntate acquiescere, & ad 49
quamcunque sortem, vitam, corpus, bona, commoditates, etiam animi excellentias venales circumferre, hominis est perfectio; nec quicquam amare altius, quàm uti à DEO amandum ornandumq; mutuò concessum est.

50 Illa tantùm bona ad quorum jacturam sumus præparati, voluptatem adferunt. Neque enim vita ipsa jucunda est continuò trepidantibus, ne eam perdant.

51 Idem vitium est, cum dolore miserum esse, & cum gaudio felicem.

52 Nil quicquam molestum aut intolerabile judicemus, quod DEO placuerit; atq; judicia, conjecturas, examina, imaginationes cunctas abjiciamus; parati omne uti præsens fuerit, jussique erimus promptissimè excipere.

53 Qui maximè impediuntur, fortius & jucundius amant. Qui solidi sunt, Vulnera non accipiunt; neque mundi ruinæ ferient non mundanos.

54 Liberationis suæ tempus perspectum habentes Christiani, æquo animo quod interest, ferunt; atque facilè quicunque annorum, honoris vel divitiarum aliqua spe aluntur, cuncta adversa incommodaque.

55 A DEO nil quicquàm inviti accipiamus, in ejusque umbrâ veluti soporati & eidem fortiter affixi, humilitate, precibus, eleemosinâ, sortem omnem cum reliquis communem libentissimè subeamus.

56 Decretũ est Deo justitiæ suæ satisfacere; non illi, quam nostra promeruit malitia, verùm

rùm quam ejus constituit misericordia, sufficientem. Hanc verò extenuare aut effugere nullius hominis est, & Christi passi exemplum reclamat, omnemque spem & cogitationem adimit.

Deleta jamque condonata peccata, suos sub cute carnifices relinquunt. Luit namque David peccator remissa peccata, & Paulus furoris sui amaram sensit condonationem. 57

Veritas tametsi semper rigidiuscula videatur; ejus tamen tanta tamque excellens vis est, ut in medio infinitarũ opinionum, illa sola & arguat, simul & pudefaciat delinquentes. 58

Veritas sola blanditias nullas novit; nec artes intelligit, quibus inter se homines colludunt, & scelera sua invicem tegunt. 59

Nihil accidit, ne malis quidem nolente DEO; nihil bonis, Deo non volente & submittente. 60

DEUM honorantibus uti decet, fide, fiduciâ, vitâ, precibus, militiâ, nunquàm deerit cur meritò rideant & insultent suis adversarijs quotidiè. 61

Stemus nos & nostra ad nutum DEI, nihil hæsitantes, divinantes, interrogantes, opponentes; maris etiam fluctibus conclu- 62

ſi,interque medios hoſtes nihil trepidantes,cum eum habeamus qui & mare & petras citiùs in effugium noſtrum diviſurus, quàm in malevolorum nos ludibrium ſit traditurus.

63 Malum fæcundum non eſt, nec ſemper propagabitur in moleſtiam DEI.

64 Decretum faſtigium præcipitat ſublimes; quia poteſtatis victor nullus eſt, niſi tempus præfixum.

65 Sibi & merces eſt,qui ſibi placet;& monſtrum quando ſeipſum admiratur.

66 Mandata ſua facilimè commendat neceſſitas,ingenio flexili.

67 Nil liberat quandoq; animus internè æſtuat,non habens ubi ſeſe reponat.

68 Si non in omni vitâ, ſaltem dum licebit liber ero; cumque non licebit, animo tamen ad libertatem potius, quàm ſervitutem inclinabo.

69 Acquieſcamus cum tolerabiliter malè eſt;ne quam nũc odimus vitam, paulò pòſt exoptare nobis & laudare,amiſſamque turpiter deplorare habeamus neceſſe.

70 Perpetuam felicitatem DEUS dare non vult,natura non audet, homo ſibi non poteſt:nec mortalium quisquàm altius adſcendit.

dit, quàm qui adversa perindè ac si bona essent, est intuitus.

Crucem oportet esse, quam DEUS mittit crucem, & nos ex eâ parte sauciare ubi patemus. Accommodavit enim ita singulis singulas, ut gemant singuli, nec sit qui sub suâ ridere possit. 71

Esse illud & velle esse, quod DEUS vult, felicis est; nolle stulti, miserrimi, infelicissimi. 72

Omnis error primùm habet cæcitatem, deinde vanitatem. 73

Sicut avaritia, vili terræ excremento labores humanos compensat: ita ambitio, no: · ·imo etiam auraque pascit. 74

Paucissimi intelligunt quantò ambitiosos vel uncia vani istius honoris premat pondere; quanti veneratio ipsis constet. 75

Mali cùm opes perdunt, excoriati sibi, ac pelle exuti; non opibus videntur. 76

Sæpè principes vicinioris agri centum perticas, pluris; quàm centum aut mille notæ fidei ministros faciunt. 77

Votorum summa & felicitatis finis est, reddi DEO similem. 78

Christianus cum Mundo invisus est, DEO gratus & acceptus est. 79

Cibo

80 Cibo utendum non ad voluptatem, sed ut vivendo aliquibus simus utiles.

81 In afflicto habitantes corpore; veluti in navigio navigantes veteri, non sint socordes, sed semper orent, corda elevantes ad DEUM.

82 Non in meditatione sermonis & structurâ verborum; sed in rebus opere declarandis, tanquàm doctrinâ vivâ professio nostra posita est, qui Christo nomen dedimus.

83 Qui est prope dominum, est plenus flagellis.

84 Liber piorum natura est rerum conditarum; quæ ijs præstò est, quotiescunque sermones DEI legere voluerunt.

85 Si vis esse templum DEI, sacrificium assiduitatis: assiduam scilicet orationem assiduè ipsi offeras.

86 Si vitam quæ verè vita est desideras; expecta semper mortem humanam, & odio persequere vitam præsentem.

87 Ne petas à DEO dulcia, sed sola tibi salutaria.

88 Quid est Christianismus? Similitudo Dei, quantùm possibile est humanæ naturæ. Si suscepisti esse Christianus, festina fieri similis Deo, indue Christum.

Sufficit

Sufficit nobis ad omnem dignitatem, quando nos tanti Domini servi appellamur. 89

Pietas pulchra sepultura, pulchrum Epitaphium est. 90

Quærere gloriam ab hominibus, signum est incredulitatis & abalienatæ pietatis. 91

Omnis actio, omnisque sermo Servatoris nostri Ihesu Christi; pietatis ac virtutis regula est. 92

Præsens vita, tota operum ac certaminũ est. Futura verò coronarum & retributionum. 93

O Deus quod fuit tege, quod erit rege. 94

Quorum corpora sub cruce senescunt; eorum animæ Deo adolescunt. 95

Melior est pro pietate seditio, quàm concordia vitio & affectibus obnoxia. 96

Loquere quæ sunt spiritus; & si possibile est, nil aliud. 97

Habeant illi populos, nos Angelos; illi audaciam, nos fidem; illi minas, nos precationes; illi verbera, nos tolerantiam; illi aurum & argentum, nos verbum purum. 98

Deum plus habitare oportet in eo, qui plus fert ignominiæ. 99

Pulchram audeamus audaciam; nempè ut pietatem confiteamur. 100

Non

101 Non ſuſcipit Deus venerationem tuam ex dimidio,totum te pium eſſe vult.

102 Artium intolerabilis amor eò proſerpit; ut magnum fidei myſterium in argutam quandam artem (apud quosdam) degeneret.

103 Bonum eſt illam agnoſcere opulentiam; nempè propter Chriſtum egere.

104 Beatior es dum malè afficeris; quàm alij dum ſani ſunt.

105 Aut non docendum, aut morum exemplo docendum eſt.

106 Loquar quæ decet, quæ autem fas non eſt eloqui,neque ſcire cupio.

107 Multi quidem multa de charitate dicunt; in ſolis autem Chriſti diſcipulis eam quæſitam invenies.

108 Agnoſce nobilitatẽ tuam ô homo,tuamque dignitatem quàm pretioſus ſis; frater Chriſti,regis amicus,ſponſa cæleſtis ſponſi!

109 Vbi Dei ſapientia eſt, non amplius humanâ indigemus.

110 Nullum armaturæ genus validius eſt, quàm gaudere ſecundùm Deum.

111 Nihil eſt quod adeò ſit inconcinnum & alienum à Chriſtiano,quàm requiem & recreationem quærere.

Is ſo-

Is solidè nequit persistere, qui rationes humanas consulit & inquirit. 112

Duo sunt fidei miracula, impetrare magna & pati magna. 113

Animatum cadaver est ebrius, sponte suâ Diabolus. Ebrietas verò morbus, cui nulla debetur venia, lapsus cui quid prætendas non habeas; attamen commune nostri generis dedecus. 114

Qui habet uxorem malam, suorum se peccatorum mercedem accepisse intelligat. 115

Hæc sit Christianorum ultio, ut salventur qui eos affecêre injuriâ; & confiteantur ea bona esse, quæ priùs sunt persecuti. 116

Sæpè quos curiositas & rerum admirabilium fama conjungit, conversatio deinde & ingeniorum utrinque approbatio reddit familiariores; liberalitas & promptitudo arctiores. 117

Quisquis Christi ambit fraternitatem, aut amicitiam; de novæ & inusitatæ amicitiæ legibus, de vitæ universæ reformatione, deque eo laboriosè & fideliter imitando mox cogitet. 118

Præpediti veterum consuetudinum, vulgarium opinionum, carnalium expectationum, & frigidiorum operationum densitate: 119

tate: Deum ſuum non benè intueri, nec quietis viam dextrè inchoare, nec impedimenta accommodè ſolvere, nec carnem ad rigidiorem vitam indurare plenè poterunt.

120 Per devia & deſerta circumducendi, morborum & afflictionum flagellis excitandi, temporis morâ frangendi ad typum Iſraëlitarum; quotquot foris quærunt, quæ intra ſe inveſtigare, admittere, ſentire, & imperium velle habere debebant, verè aliquid aliud quàm quod gentes ſunt exhibentes, tantiſque promiſſionibus condignum.

121 O felices, qui ad veræ vitæ centrum (Chriſtum) tendunt; per veram obedientiæ viam ingrediuntur, veris patientiæ & fidei armis pugnant, vero precum viatico inſtructi, verâ fidelium nota (AMORE) ſignati ſunt: cognitione & vitâ ſic verum ac bonum conjungunt orantes laborantesque.

122 Non quid dicantur, ſed quid ſint res, jam intueamur: non quid fiat, ſed quid velit Deus proſequamur, nō quid aſtra vel temporis computatio, ſed quid Deus nobis promittat, ac quotidiè exhibeat, amplectamur: præbentes nos nunquàm non materiam Deo creatori noſtro tractabilem & facilem.

123 Chriſti fidelium ea maxima cura eſt, ne

cæte-

cæterorum more præsentibus inhæreant, præsentia aut diligant aut deplorent; ex ijsdem de futuris judicium ferentes, eorumq; causâ futurorum obliviscentes: sed veluti in Deo repositi, præterita, præsentia, futura uno oculo tantùm, aspectuque eodem intuentes.

Superemus vehementiâ præteritæ certitudinis, & futuræ promissionis sensum præsentium, quoties is cutem pungit aut cerebrum impugnat; nec Deum nobis unquàm mutabilem videri patiamur. 124

Qui pridem Deum habuit expertusque est bonum, mirabilem, auxiliatorem, consolatorem, victorem; habebit talem posthâc quoque. 125

Deus apud se, animo paterno nil unquàm, saltem modo & ratione tractandi filios, vel tantillum mutatur: hinc merito luctum in adversis, exultationem in prosperis suspendamus, ejusque loco animi immobile æquilibrium induamus. 126

Tanta est facilitas humanæ acquiescentiæ; quæ ubi primùm mediocriter habet benè, ejus potiùs augmenta quàm æterna bona curat. 127

Verè diligentibus, certò propositum est, ad summum utilitatis fastigium contendere; ut 128

re;ut suus ipsorum amor, Christi aut purè Christianus fiat.

129 Animam non ignaram suæ dignitatis, sceptra minuti sui regni capessere convenit; præque illo omnia quæ foris sunt (sunt autem mundana omnia) contemnere. Vno verbo, intrà, omnis illius, quod extrà bene sit, compendium labore, studio, appetitu facere.

130 Vt magnes ad originem suam quoties licet, respicit: ita selectæ & liberatæ animæ, quoties è terrenis sordibus eluctantur, spei acui superimpositæ ad principium vergũt; & exindè quicquid alij aliundè frustra petunt, indubitatò accipiunt; nec dissimilitudine illâ & litigio indè cum mundo orto, unquàm se avocari patiuntur.

131 Cœlestis pater, unus pro infinitâ bonitate malè velle nunquàm potest: pro ineffabili sapientiâ etiam futuris commoditatibus prospicit; & quicquid breve præsens est, semper in æternum futurum bonum convertit.

132 Paupertatis commoditas, ignorantiæ jucunditas, obscuritatis utilitas, simplicitatis felicitas, patientiæ facilitas, charitatis hilaritas, acquiescentiæ tranquillitas: modò ea in hominem Deo & futuræ vitæ deditum

sacra-

ſacratumque incidant, ignota nemini eſſe poſſunt.

Iejuniis utere contra Bacchum, ſolitudine contra venerem, indigentiâ contra Plutum, nuditate contra Luxum, verberibus contra iram, ruditate contra ambitionem, laboribus contra otium: talibus quæ corpori magis quàm animæ competunt, hoſtiquè tam infelicia arma fortiter eripiunt; Rectori verò ſuo, ſententiis, perſuaſionibus, concluſionibus, minis, longè citius, jucundius & facilius imperium reddunt. 133

Etſi diverſæ ſunt vocandi in vineam horæ, denarij tamen ſolvendi una tantum eſt, quàm anticipare primis, differre ultimis non licet. De iniquitate verò aliquâ cum murmure conqueri, minimè convenit. 134

Sana cum morbidis recumbant membris, ſeque mutuò quoquo modo ſolentur: non iniquè à corpore ſolui petant. 135

Medicum pium prudentemque, nec ægroti deliria irritant, nec ſanitatis mora expellit, nec fœtoris moleſtia impedit, nec ſaneſcentis ingratitudo officium deſerere jubet: imò ex variis hominum affectibus difficultatumque varietate, ſuccurrendi & aptitudo & promptitudo creſcit. 136

Intra Dei circulum, quem malum noxiumque 137

xiúmque nullum ingreditur consiste; inque mundo extra mundum, in terris extra terrena, in carne extra carnalia, in naturâ extra naturam, in cruce extra crucem, sub cœlo supra cœlum: scilicet in Christo tuo Christianè, spiritualiter, supernaturaliter, & ad vitæ æternæ jucundam æmulationem viue.

138 Omnibus suus modulus distributus est.

139 Deus singulos penè singulis vijs introducit; sic tamen, ut sint unicæ in Christo parallelæ.

140 Dei aculeata dona dividentis, acceptamus distributionem, non eligamus.

141 Si nec gemitus, nec suspiria nec lachrimarum guttæ pijs pereunt, quas suorum causa profundunt; quî pereat illud quod in Deum impenditur?

142 Medium Lucri cœlestis faciendi frequentissimè oblatum, amplectamur avidè; respicientes non ad præsentem indigentiam, neque varios fortunæ casus metuentes, sed futura æterna lucra.

143 Demus demus & dabitur; etiamsi sua Deus ad pauperiem nostram repetat. Nam qui primus dedit, quique Iobo multiplicatè ablata restituit, is miraculis hodiè non minor est; tametsi credentibus & qui fidem

in eum ad mortem usque reponant, indigentior sit. Nos credamus Deo, præstabit, nos expectemus, ille aderit. Modum verò & tempus sibi præscribi, non patitur.

Ingens hominis beneficium est, ex tam 144
brevibus & ærumnosis vitæ diebus lucrum ingens, & in æternum duraturum capere; ex alienis terrenis bonis, sua sempiterna emolumenta impetrare.

Tanta est terrenorum tenacitas, ut ea 145
veluti sanguinem & succum nostrum inviti, & vix unquàm benè nisi in morte dimittamus; utcunq; verbis subindè excitemur, promissionibus provocemur, jurgijs protrahamur.

Deus risum satis impedire potest, ubi 146
nos vult dolere; ubi patientiæ quasi remedia desinunt, cum obedientiæ præcepta incipiunt, & clamores nostri, gemitus, stridores etiam Deo satisfaciunt.

Arcana sua, Deus suis satis & cum æter- 147
no illorum bono aperit cum pungit; docet cum nocet, ligat cum affligit.

Nihil est quo homo indigere plus appa- 148
reat, quàm assiduâ admonitione, dehortatione, excitatione, erectione, reprehensione. Equidem pane & aquâ citiùs aut consultiùs homo carebit, quàm his.

149 Sæpè Deus promiscuos quasi homines, & ut multis videtur, nullâ ratione comparabiles, ita conjungit, coadunat, & in unum quasi concrescere facit: ut & sibi invicem multùm prodesse, & naturarum diversitate insigne temperamentum, sonorum differentiâ jucundissimam harmoniam efficere, Deique sapientiam, qui tam exactè conciliandorum hominum rationem novit, testatam facere possint.

150 Quid laboramus? Vita nos citiùs deseret quàm Verbi divini majestatem, necessitatem, jucunditatemq; explicaverimus, quod nemo libenter legit, intelligit, ad vitam refert; nemo cum Christo & Christianismo confert; nemo intra se efficacem sentit; nemo id in universo contemplatione sequitur, nisi qui est ex spiritu.

151 Quid est, quod variè necquicquàm disquirimus, quod in uno perfectissimè possidemus ecce est quod satiat, est quę animam benè potet, cœlestis aqua, & cum satietate sitim, cum siti satietatem afferens. !

152 Quicquid scire potest homo, vel necesse habet: id una sacra lectio, cui spiritus Sanctus assidet, præstat una atque sola.

153 Qui nec ingenio, nec linguâ, nec memoriâ opus habet, saltem fideli & simplici pectore;

ctore; is facillimè præcepta, suo tam carneo cordi imprimit, & Ihesu Christi nomine dulcedineque totum opplet.

Sicut dubitatio, disputatio, oppositio à 154
nemine nisi Sathana initium sumpsit, atq; eo ipso fortiorem diligentioremque non habet promotorem: ita mundus ejus Simia, nihil hoc tempore quo se jactet speciosius habet, quàm tot diversissimarum sententiarum collationes, disquisitiones, examina (si careant pietate.)

Spiritus Sanctus nisi reluctantem dispu- 155
tantemq; animam nil habet infelicius; nec ipse homo in mortis articulo nisi dubia & objecta, nil molestius periculosius.

Sacræ Scripturæ Lectio, Spiritui Sancto 156
aptos discipulos, Christo aptos imitatores, patri aptos servos; indeque felicissimos socios, fratres, filios, coheredesque reddit.

Si quid homini præter & post sacra in- 157
spiciendum est; nihil nisi humanæ vitæ traductæ contemplatio jam per sex prope millenarios, excusabile est.

Si quisquàm perfectior historiarum sco- 158
pus est; is equidem, qui divinam Arithmeticen, & temporum arcanum concentum typorumque completionem elicit, esse potest.

159 Deus usque adeò otiosos & malignos spectatores odit suorum operum, ut quod intimum mysterij est, illos introspicere nõ sinat, sed suis tantùm reservet.

160 Sicut amore vero nil habet elegantius universus mundus, Deoque propinquius: ita quoque animæ nil est utilius, nil ad vitæ viam magis necessarium.

161 Non saltem junctim aliqui terras relinquamus, cœlum petamus, mala feramus, bona speremus, prophana nesciamus, sacra discamus, temporalia distribuamus, æterna possideamus, in mũdo taceamus, cum Deo conferamus, Christo adhæreamus; & quæ alia juncto amore, opere, junctis monitis fieri decent. Sed amor hic noster in Deo totus immergatur, cum eo uniatur, ab ipso solùm omnem motum, sanguinem, nervos & vitam accipiat, ac per fidem posteà naturam corporeaque omnia conculcet atque devincat.

162 Quicquid nobis accidit, Deus jubet; quicquid jubet bono fit nostro: indeque jucundissimum, exoptatissimumque id esse intelligamus.

163 Vnus ille Deo semper appropinquat, nunquàm subsistit, nunquàm retrospicit; qui jussa Dei semper sequitur, nec unquàm

in ijs

in ijs rationis objectiones audit, minùs consilium ejus requirit, minimè admittit.

Ille securissimè ambulat, qui vel cæcus ducentem Deum audacter subsequitur; ille bona semper obtinet, qui dona Dei promiscuè accipit; ille felicissimè desipit, qui cum totius mundi risu, verborum Dei credulus est, ille terminum suum beatissimè attingit, qui actionum suarum terrenum nullum scopum judicare potest. 164

Deum nos agentem ac moventem observemus, erudientem audiamus, jubentem sequamur, regentem omni reverentiâ prosequamur: sed & foris in tanti hospitis honorem, divina insignia in facie & ubique suspendamus. 165

Tales nos, qui Deum possideant, â Deo possideantur: opere, sermone, studijs exhibeamus: crucis vexillum & viæ perficiendæ mensuram in acutis oculis, itineris difficultatem, casuum multiplicitatem, in forti animo, finis perfectionem & commutationis excellentiam in tranquillâ animâ habeamus, conservemus, retineamus. 166

Felicissimi qui summo terreno bono (amicitiâ,) summo quietis fundamento (simplicitate,) summo malorum remedio (patientiâ,) summo possessionum fastigio 167

(ACQUIESCENTIA;) ad summi summorum possessionem impetrandam subactâ carne, optimi Cosmopolitæ, prudentes Cosmoxeni, possunt uti.

168 Homines usque adeo pendent, nec ad Deum planè secedere volunt; ut incusantes mundum, artes, labores, aulas, curias, fora, à Deo emendationem exposcere audeant: neque à se exordiri & consuetam vitam immutare, mundum, opes, honores, famam, amicos, liberos etiam & uxores, si ita necesse sit deserere, propter Deum, cogitent.

169 Longè periculosiora sunt tempora, inter hypocritas & pietatis simulatores, quàm ubi Deo apertè contraitur.

170 Quoties vitæ correctio urgetur, mirum dictu est, quàm mũdus omnis, caro omnis, princeps omnis ringat, quàm sinuosè hunc ictum excutiat omnis.

171 Si credimus aularum nostri seculi studia cum Deo posse uniri: cujusmodi sunt Politicorum figmenta, aulicorum impuritas, impostorum fortuna, principum luxus, humani generis contemptus, concionatorum adulatio, mulierum fastus, omnium impietas; næ nos Deum longè alium, quàm qui ab æterno fuit, & in æternum erit, credimus.

In

In justâ indignatione Christianus ne efferveſcito, quæque emendare non potes abjicere ne cogitato; ſed fortiter ferto. 172

Poſt ſimplicem narrationem, emendatio concinna & laudabilis eſt; poſt iteratam non æquè. 173

Quæ Deus juſſerit citò & absque omni 174
reſpectu expedienda: Eventus omnes quicunque illi fuerint: tum judicia & tentamina hominum ei committenda, qui eſt imperator omnium.

Iehova mundo labaſcente, & propemodùm periodo abſolutâ, ad principium properante; naturæ ordinem invertit. 175

Vtcunque validam, ægrotare tamen imò animam agere Philoſophiam noſtri temporis, indubitatum quàm plurimis eſt. 176

Philoſophia nobis nulla eſt, quàm quæ facultatum, ſcientiarum, artium caput; quæ ſi noſtrum ſpectemus ſeculum, Theologiæ plurimùm & Medicinæ, jurisprudentiæ minimùm habet; quæ cœlum atque terram exquiſitiori anatomiâ ſcrutetur, aut ut ſummatim dicamus, unum hominem ſatis exprimat. 177

Ex mundi revolutione, futura ſimul & præſentia aliquo modo metiri quimus. 178

Sui ſeculi incommodis occupati; non 179

ſecus in mundo ambulant; quàm cæci, qui mediâ luce, nil niſi tactu diſcernunt.

180 Suis hoc injunxit Deus, ne quemvis audiant; eos nubibus ſuis vallavit, ne qua vis ipſis intendatur.

181 Magus dicitur, cuicunque magnas Dei literas, quas mundi machinæ inſcripſit, & per imperiorum viciſſitudines alternatim repetit, intueri, legere, atque exinde ſe erudire conceſſum eſt.

182 Boni malis prodi non poſſunt in ſuam perniciem; nec ab alijs cogi, contra Dei decretum.

183 Impia conſilia in authorum capita redūdant atque reſiliunt; Leoni vindici reponuntur vetera & nova omnia.

184 Divino conſilio nunquàm deſunt executores; cujus ſemper nuncij præmittuntur.

185 Deus cuncta ea, quæ humanum ingenium adinvenit, ſuæ occultæ ſcripturæ inſervire facit.

186 Liber naturæ in omnium oculis expanſus, à paucis omninò legitur vel intelligitur.

187 Characteres Deus & ſuum alphabetum ſparſim Sacris Biblijs inſeruit; ceu quoque in ad-

in admirando creationis opere cœlis, terræ; animalibus manifestè impressit.

Quo Mathematicus modo Ecclipses prævidet, eodem Ecclesiæ obscurationes & durationes prænoscuntur. 188

Literis & notis linguaque Magicâ, simul rerum natura exprimitur. 189

Linguæ Babylonis confusione contaminatæ, neutiquàm illam Adami & Enochi redolent. 190

Lectio frequens, assidua S. Bibliorum una, prima, amicorum Dei amicos efficit Deique. 191

Biblia sint vitæ regula, studiorum summa, mundique universi compendium: non ut ea perpetuò crepemus, sed ut ipsorum sensum omnibus mundi seculis convenienter applicemus. 192

Admirabilius, majus & salubrius â mundi origine datum non est homini, quàm S. Bibliorum opus; quod qui habet felix est, qui legit felicior, qui ediscit felicissimus, qui intelligit Deo simillimus. 193

Metallorum transmutatio, non perpetuò naturæ cognitionem secum adfert. Philosophia verò utrunque illam nimirùm & infinita alia naturæ miracula edocet; cujus hinc meritò potior habenda est ratio. 194

195 Summus Rector excellentiam confert humilibus, superbos obscuritate cruciat, taciturnis Angelos confabulatores mittit, garrulos in solitudinem detrudit.

196 Pseudochymicorum libri nequam & pestilentes abjiciendi.

197 Credulorum curiositas, nugivendulis fumivoris lucrum est.

198 Veritas simplex est & nuda: Mendacium est contrà speciosum, & lacinijs ex divinâ & humanâ sapientiâ ornatum: illi ut difficiliùs, huic & citiùs fides habeatur.

199 Obsequendum haud injuriâ & accedendum alacriter ijs est; qui Christum sincerè profitentur, Papam execrantur, philosophiam sinceriorem amplectuntur, vitam homine dignam agunt, & ad commune suum ipsorum consortium plures, eosque quibus eadem à Deo lux affulsit, invitant, vocant, orant.

200 Boni bonorum inexpectatâ affluentiâ, ad vitam delicatam, otiosam, luxuriosam, pomposam facilè provocantur.

201 Etsi medicina est, quæ omnes pariter morbos depellit; illis tamen, quos Deus morbis torqueri vult, hæc occasio non immittitur.

202 Ditamur, erudimur, & ab infinitis incom-

commodis liberamur, Deus si annuat; quo invito, tantùm abest, suis ut bonis fruamur, ut vitam potiùs quærendo perdituri, quàm inveniendo felicitatem assecuturi simus.

Sathan flagellationi suæ oblivionem eorum frequenter immiscet, quibus ut plurimùm aliàs erigimur. 203

Pij eo potissimum tempore ubi respiraturi sibi videntur, arctiùs torquentur. Quādo venit Moyses, duplicantur lateres. 204

Illudendum Sathanæ, quando magnum se facere putat, dum bonos ad paucos quosdam dies exterret. 205

Peragenda quæ Deus jubet, proque fine iniquitatis orandum; junctis precibus, unanimi sono. 206

Nullatenus trepidemus coram ijs, qui nos angunt, & examinant: contenti auxilio invisibili, nobisque bonum & exoptabile credamus, quicquid accidit. 207

Præcipere nobis & conatus omnes à nobis exigere; eventus verò reservare sibi, Dei unius est. 208

Risus mundo in spiritualibus proprius est. 209

Cruce signati, non cæci amplius in hoc mundo atq; inter tot Dei signa ambulant; sed agnoscunt cur ea fiant, curque ita se ha- 210

beant, quæ reliqui inepti temeraria & fortuita credunt.

211 Oblivisci Salvatoris & servandorum, gravissima pœna est.

212 Nihil est quod ad rem se ullam tam alliciat, & tam attrahat, quàm ad amicitiam similitudo. Hinc boni bonos diligunt, sibiq; adsciscunt, quasi propinquitate conjunctos atque naturâ.

213 Amici Dei, nescientibus invitis, & reluctantibus benefaciunt.

214 Vt tenebræ lucem semper præcedunt; sic afflictio gaudium, nox diem, vincula liberationem, crux gloriam.

215 Solatio omni se indignos reddunt, quibus S. Scriptura satis non est: illa, quæ Creatorem creaturarum sponsorem interponit; illa quæ animæ nostræ dignitatem, usq; ad majestatis divinæ unionem extollit; illa quæ momentaneæ miseriæ cum æternâ-æternâ-æternâ gloriâ commutationem offert.

216 Expectatio longior, fœnus multiplicat.

217 Sanguine parta victoria, acerrimi pugilis nomen confert.

218 Apud justos majoris aut minoris nomina non exaudiuntur, neque quibus mundus superbit, aut quos magno vendit, titulis glo-

lis gloriantur: sed ijs sine applicatione utuntur ad communem salutem.

Sacris Biblijs præ alijs libris incumbentes, inque charitatis Christianæ mutuæ certamen descendentes; oportet vanitatum mundanarum sarcinam, & ineptiarum inflatum utrem deponere. 219

Sodomitas, caligo & tenebræ cruciârunt; & adhuc excruciant illis haud absimiles. 220

Inter afflictiones & tormina, quibus Deus suos à sordibus in mundo immundo cunctis abluit, viva ejus & miraculosa solamina accipimus. 221

Mundanæ miseriæ atque invidiæ frequentes impetus, mutuâ piorum charitate & amore inter se arctissimo condiuntur, franguntur, eluduntur. 222

Candidis & bonis seculi iniquitas non displicet tantùm; sed ijs nonnunquàm gemitus & lachrymas extorquet. 223

Dulce est in omni tentatione, & efficacissimæ consolationis nomine, cogitare quos ad Deum bonos præmiserimus; quos item in terra adhuc superstites habeamus. 224

Tempora nostra ea maxime exigunt, quæ miseriarum, oblivionem, confabulandique materiam adferant, quæque amarulentas horas fallant. 225

226 Mundi odium à Deo immittitur, aspernari nimirùm quicquid ille pretiosum credit; dignitates, opes, magnificas structuras, etiam renatam rem literariam (propter ejus multiplicem abusum.)

227 Mundus nil est aliud nisi palæstra malorum: ubi iniquitas superbit, & magnificè sese ostentat; ubi malorum numerus centuplo superat bonos; tum sol, & luna reliquæque lucidissimæ creaturæ, turpiter serviunt, nullo evidente piorum justorumque solatio.

228 Trahimur miseri per exiguum foramen ejulantes & reluctantes, tanto cruciatu, ut cutis remaneat plerisque. Verùm deportati mox in fontem saluberrimum sanamur iterùm & prodimus, splendentes induti stolis candentibus.

229 Impius horologij vitæ indicem moveri videt continuò; nec tamen movetur admodùm.

230 Discamus benè sapere, beatè vivere, mũdo imperare.

331 Mirabile est, imbecilles & paucos, in magnâ hostium infensissimorum turbâ intactos ambulare, neque hanc illorum probris moveri.

232 Bonis & pijs inflatorum ineptiæ sordent; qui

qui capita repleta habent inſcitiâ, ventres turgidos cruciatibus, Auro verò atq; gemmis delectantur: non ſecùs atque pueri, neque cogitant quàm brevi futuri ſint pinguis victima Domino noſtro; quorum iniquitas completa, illorum abſolvet tentationem.

Turpitudo impiorum ad extremum universo mundo apparebit. 233

Vana Vanitas mortalium, tam cupidè 234 indefeſſeque viliſſimis rebus ſeſe oblectare.

Ignis, quo cuncta aliquando conflagratura legimus, piorum oculis ſemper obverſetur. 235

Veniet tempus, ubi exigetur ſanguis ſervorum Dei; quandò ratio danda neglectarum viduarum, & luendum contemptæ juſtitiæ peccatum. 236

Mors impœnitentibus moleſta & indigna videtur. 237

Quod ſæpè ſibi quiſpiam feliciſſimum arbitratur, id ei in miſeriam cedit. *Cic.* Id ſæpè exitium extitit, quod gaudium fore putavimus. 238

Nullum ſimulatũ diuturnum; nec adulator ſervans fidei. 239

Veri

240 Veri interpretes plerunque irridentur, & ignominiosè excipiuntur.

241 Per dumeta & spinas in hortum odoriferum, rosis albis atque sanguineis consitum, penetrandum.

242 Extinguere semen Iacob, & eripere libellum (Biblia) è manu piorum; consilium impiorum concors, & novissimum.

243 Finis malorum, noctis, tenebrarum, inscitiæ, debilitatis, mortis atque damnationis, initium erit dulcissimæ quietis.

244 Sathan etiam à vinculis liber, nisi impetratâ à Deo veniâ, nocere non potest, aut tentare quenquàm.

245 Altissimus sapientiâ semper prævalet, irritos pudefacit Sathanæ conatus, ejusque contra Sanctos eludit machinationes.

246 Malum boni saltem specie imponit.

247 Iniquorum potentia speciosa, momentanea est. Piorum autem debilitas roboratur ab eo, qui est omnium qui fuerunt, qui sunt, & futuri sunt, fortissimus.

248 Dicta, facta, scripta Sanctorum, pectoribus nostris includenda, ut nunquàm excidant.

249 Homo Dei in uno puncto sufficere potest pro vitâ mundi, paucosque suos annos transigere, ac si ab Adami temporibus vixisset, por-

ſet, porroque victurus eſſet: ſcilicet præteritorum omnium gnarus, futurorum omniũ præſcius.

Opertum pellibus albicantibus, non videntem niſi per berillos eosque infectos, non audientem niſi per arundinem, non loquentem, niſi per putres canales: Qui bonum, (vel felicem) eum cenſeam? 250

Omnia quæcunque facta ſunt aut fiunt, ad Chriſtum Meſſiam accommodari poſſunt & debent. 251

Anatomia cujuslibet rei, multa apertè aperit. 252

Peregrinantes ſub dominatoris umbrâ tuti, inſpiciũt adverſarij iram; quæ ſuis tantùm eſt gravis & intolerabilis. 253

Dominator Dominus, pauper hominibus apparet & dives eſt; inermis iisdem videtur, & armorum ſatis poſſidet: Nuditate mortalium gaudet, qui infinitas ſtrues veſtimentorum habet. 254

Cujus eſt ſapientia & miſericordia; ejus eſt, ut ex indignis eligat quem donis ſuis dignum faciat. 255

Sunt qui terrena quidem non diligunt; ita tamen ijs adhærent, ut ea diligere videantur. 256

257 Acerba præſentia, aliquando degenerabunt in ſalutifera futura. *Iſ.* 38.

258 Sanguinis innocentis gutta, in conſcientiâ vindictam inclamat.

259 Calliditas hominum velocior eſt quàm pennæ, ira hominum truculentior quàm animalium cornua, dentes, ungues; malitia eorum profundior, quàm piſcium in mari via.

260 Serviunt ſceleribus, creata ad ornandum hominem; ferrum ut occidat, rete ut capiat, altitudo ut præcipitet, profunditas ut ſuffocet.

261 Non eſt ſimile aliquid homini. Nam in bono exultat Trinitas, Angeli, mundus: Ad malum exhorreſcit Trinitas, Angeli, mundus.

262 Tentamur, nec extinguimur. Quis enim credat Dominum ſuorum poſſe obliviſci?

263 Ira Dei, ira interdum non eſt, & plagæ ejus ſanant.

264 Sub Domini grandine felicius agunt pij, quàm ij quibus adverſarius ſerenitatem immittit: quoniam illius grando roborat, & hujus ſerenitas enervat.

265 In pijs, calamitates tantùm abſumunt abſumenda.

266 Honoratior locus aſſignatur eis qui plus tule-

tulerunt, plus amarunt, plus contempſerunt.

Confundetur omnis ſcientia, quæ neſcit Deum & peribit omnis indagatio, quæ malum indagat. 267

Superbi contemptores ſunt omnipotentis, audaces & confidentes, qui in agone adhuc rebellionem ſpirant; non ſecus atque ſerpens jam pedibus preſſus, pungit & inficit. 268

Humilium laudabilis eſt modeſtia, qua ſe Deo ſubjiciunt, illique ſoli confidunt; cujus manus intolerabilis eſt contra impios, cogitantes delere minutum gregem ipſis digniorem. 269

Reges & regna mundi, in juſtâ Domini ſtaterâ appenduntur & examinantur. 270

Id quod facere poteſt deſiderium ſpiritualium, & odium pariter carnalium; eo ipſo nil nobis debet eſſe pretioſius, quòd eodem nil nobilius. 271

Mundi bona perpetuum habent amaritudinem comitem. Mala verò ejusmodi ſunt, quæ aufugiunt ab homine Deo dedito, & carni minimè blandienti. 272

Quicquid infortunij movet homines, ita eos moveat; ut non majus ipſis videatur, quàm cui quærant remedium, & in tempore adhibeant. 273

Di-

274 Discendum à cunctis, quos docere nos posse putamus: & omni studio enitendum, ne subinde ad pristinam imbecillitatem relabamur.

275 Egregium est amare invicem & corrigere, fastumque omnem abjicere.

276 Bonum est afflictiones ferre patienter; melius in medijs illis gaudere hilaremque esse: sed longè omnium optimum, animum non penitùs abjicere aut desperare.

277 Deus in mediâ cruce, mirabilis est in suis.

278 Detrahatur priùs pinguedo nobis mundana, tum demum graciles erimus ad spiritualia ministeria.

279 Preces & Bibliorum lectio, sint principium & fundamentum actionum omnium nostrarum.

280 Fidamus Deo unicè, non æquè mundo.

281 Ea est hominum perversitas, ut mundo priùs valedicere nolint; quàm Deus eos ita molliter excipiat, ut non perdidisse, sed commutasse voluptatem sentiant.

282 Anima Dei est, corpus terræ: cui sine pompâ tradendum.

283 A lachrymis, à prolixis inscriptionibus & splendidâ memoriâ, meritò sibi temperent Christiani.

Ex

Ex majori amore, majus eſt deſiderium. 284

Prima vocationis vox per univerſam S. 285
Scripturam:relinquere omnia & ſequi,

Inter ludos Biblicos & pios, creſcit pue- 286
ritia Chriſti;vincitque illa ſynagogiſtarum
acumen.

Conſilium Dei longè ab hominum dif- 287
fert;qui ijs inprimis delectatur,quæ mundo
videntur abſurda:paupertate, ſimplicitate,
timore,&c.atque adeo omnibus ijs,quæ ex-
ternè videntur duriora, internè ſuaviſſima
ſunt,ac ſerena maximè.

Arcanum hoc eſt, captivum fieri, ut ad 288
regnum quaſi eveharis: Oves paſcere, ut
perenne ſolium inſcendas. Ac quomodò
Chriſtus ipſe fecit,mori ut vitam reſtituas.

Homine natus, varijs corporis, animi & 289
bonorum caſibus obnoxius eſt.

Qui maris fluctibus jactantur, ſperant 290
reperturos ſe aliquandò terram: qui bona
ſua laborioſiſſimè parta, aut incendio, aut
deprædatione aut infortunio perdiderunt,
conſolari ſe poſſunt iterum, & novam ac-
quirendi ſpem concipere. Quid ni Chri-
ſtiani?

Sunt qui vivere neminem poſſe putant, 291
aut ſanè commodè vivere, cujus ædes non
vacua aliquot conclavia habeant, cujus pa-
rietes

rietes non vario supellectili, imò onere inutili eniteant, cujus mensa non varijs ciborum generibus instructa sit, cujus cistæ non aliquot vestimentorum formas, ac species contineant: quibus tamen nos carere posse gentiles etiam, optimè intellexerunt.

292 Ita abundent Christiani, ut jucundissimum ipsis sit, humanæ imbecillitatis necessitudinem quàm sæpissimè experiri.

293 Deo relinquendum de hominibus judicium; qui satis superque in operibus suis ostendit, quanti faciat hominem, & quàm invitus ad vindictam descendat.

294 Ordiuntur nonnunquàm homines, dum respirandum erat, scholam Rhadamanticam; quam non habuerunt cum majora ipsis incumberent pondera.

295 In afflictionibus Deo nihil præscribamus: cum denarios suos ijs etiam det, qui æstum solis, & diei labores non sustinuerunt.

296 Tantulum non est, ingenijs ac inprimis liberrimis imperare, quàm multis videtur: sed connivendum nonnihil usque deferbuerint.

297 Amici sibi invicem largissimarum opum, & pretiosissimorum thesaurorum instar esse possunt.

298 Igni ultimo absumẽdum tradetur, quod
vix

vix Christo præ foribus stanti & petenti datum fuisset.

Multùm interest, demus nostra Deo, an 299
ille violenter nobis auferat.

Typus Haman, docet inter meras minas 300
consistere piorum afflictiones. Minantibus autem subeunda sua excogitata mala, sustinendosque laboriosè conquisitos cruciatus; neminique timendum Phalaridis taurum, nisi authori.

Inter preces gaudendum. 301

Fraternitas Christi, adeò est humano ge- 302
neri honorifica ; ut sublimius nihil Angeli proferre, & linguâ suâ enuntiare possint.

Naturæ imbecillis & terrenæ originis re- 303
liquiæ, Christum nunquàm tanti faciunt ac faciendus est; nunquàm magis quàm parentes, uxores, liberos, amicos, opes, addo etiam scientiam, diligunt.

Christus super omnia amandus, & amori 304
ejus cuncta posthabenda, quæcunque corpori sunt gratissima: id quod Biblia perpetuò inculcant, ac ipsa natura expeditissimũ vitæ genus esse ostendit.

Homo mirabile est animal, in quo con- 305
vertendo etiam Deus artem quasi adhibet.

Quærendo nimiùm, nec non acquiren- 306
do, multa perdere possumus.

Omninò

307 Omninò is est majoris humilitatis, qui in eo loco, ac ijs fortunis, ubi superbire potest, animum demittit; quàm quem penuria rerum & infelicitas eò adigit.

308 Tempora ea instant, quæ satis superque admonebunt mundum nuditatis, vanitatisque suæ.

309 Tanta Sathanæ ex Dei indulgentia potestas, ut Ecclesiæ fugiendum sit præ eo, dandæque ei alæ; cùm potiùs interimere eum posset Dominus, nisi servatum vellet, quod semel ordinavit.

310 Corda non superficiem formatote.

311 Iucũditate temporis amaritudines temperatote; viribus Sathanæ ne ceditote.

312 Multùm possunt parentum vel lachrymæ, vel iræ, vel preces, vel objurgationes, vel accusationes. Vix enim sic insaniunt homines, ut si utrunque & malum & bonum ipsis dono detur, non eligant bonum; cùm malum sub boni larvâ tantùm imponat.

313 Terreni pulveris multùm habens inspersum, de morte nunquàm nisi cum horrore cogitabit.

314 Vitæ nostræ filum ex Dei manu dependet; qui id non cæco errore abrumpit, sed prout nobis cum eo & ipsius legibus convenerit.

venerit, ita vel nodis crebrioribus implicat, vel ex improviso dissecat.

De salubri Panacee prospiciendum, quoties malum evitari nequit. 315

Æquum est, ut qui dolores communes habuerunt, gaudij etiam dulcissimorumq; fructuum fiant participes. 316

Circumstrepentibus aures mortalium omnium malorum rumoribus; majus Christianę fiduciæ specimen exhibere haudquaquàm possumus, quàm gaudere semper & læta facta celebrare. 317

Omnes turbas januam ingressumq; ad supremam immortalitatis felicitatem habemus; imò propter nos penè & in gloriam nostram, orbem commoveri & concuti scimus. 318

Bella hominibus meritò metuenda; ut quæ eos de miseriâ in miseriam, atque â temporali in æternam transmittant. 319

Mundus fastuosissimis & festivis suis solennitatibus maximè offendit Deum; pessimaque consuetudine pompas illas solicitè & artificiosè describit, depingitque: nè hominibus unquàm tantæ iniquitatis memoria excidat, aut scelus desit quod imitentur. 320

321 Gaudij & mœroris mixturam, nostra tempora omninò requirunt.

322 Dei misericordia, & nostra indignitas agnoscenda.

323 Vmbra debetur ijs, qui ad umbram primi sua contulerunt.

324 Qui in Deo omnia possident, ijs aliorum amicitiâ opus non est.

325 Belgarum sanguine, flamma quæ orbem incensura videbatur, extincta est.

326 In circulo, finis initio est propinqua maximè.

327 Hostem se mundi & mundanorum mõstrorum apertè declarat, verum qui se Dei amicum profitetur.

328 Ignitum examen illis, quibus candor & sinceritas in pectore, innocuum; sed fraudium maculis notatis planè intolerabile.

329 Divina Theologia, ab illâ hominum frigidâ & supervacaneâ plurimùm distat: quamvis hæc familiarior Deo, & ei proxima appareat.

330 Felicior qui seipsum, quàm qui alios moderatur.

331 Amabitur qui dilexit, extolletur qui se subjecit, coronabitur qui toleravit.

332 Delicatis quævis aura gravis: induratis etiam tempestates tolerabiles.

Deus

Deus optimus maximus universi conditor, ipse sibi est bonorum omnium admonitor, causa, præmium; neque ullo modo quàm seipso honoratur, sibique gloriosus unus est. 333

Spuriochymia in veram religionem blasphema est, & â Deo paulatim abducit ad Sathanam. 334

Miseri homines quibus vix humana noscere datum est, in spiritum sibi judicium sumunt & discretionem. 335

Aurum hominibus semper in Corde est, quicquid lingua Deum aut divina crepet, quicquid subsidium pauperum. Malunt enim rem familiarem augere, quàm sapientes esse. 336

Tantum est in Germaniâ fimi, ut vel decem Hercules exportando non sufficiant. 337

Persuadere cœlestia terrestribus præponenda, non ab eloquentiâ semper consequimur. 338

Deus hominum oculos, aures, linguas, manus ligatas habet; cujus typum præbent Sodomitæ. 339

O Biblia, Biblia qualia habetis, & quàm clarè loquimini, nec vos intelligunt, qui id maximè præ se ferunt. 340

Tanta est hominum curiositas tam de- 341

bilem animæ jacturam quis facere velit.

359 Qui animæ medetur, illi plusquàm omnibus artificibus debetur.

360 Vera somnia, quæ singulare quid continere, & divinum videntur, amplectamur non negligamus.

361 Deus sapiens, sua non unâ die confert hominibus, reservans sibi infinita.

362 Temporis sui felicitatem nemo prætermittat oscitanter.

363 In luxum aut voluptatem nimiùm est quicquid insumetur.

364 Nostri labores, quibus nos emaceramus, sæpè non absimiles sunt eorum, qui in navi discurrunt frustrà, nec multò sudore quicquàm promovent.

365 Bona quanta ingenia alat, Germania nec agnoscit; atq; inter nobiles etiam, qui alioquin otio, luxu, fastu diffluunt.

366 Ex raro & inaudito ingenio, nihil non potest non prodere mirabile.

367 [redacted]

368 Non possumus non amare, qui nos amant; & eorum etiam misereri, qui nullo suo merito mundi hujus malis premuntur.

Sexus

Sexus muliebris in abſconditis nimiùm curioſus, ad ridicula & tenuia facilè delabitur. 369

Ingratis facilè memoriâ excidunt beneficia, gratis altè inhærent. 370

Indocti Monachi in conficiendis membranis & pingendis literis, cœli influxum obſervarunt; non ſine ſecreti prægustu. 371

Abbates Ioachimus & Trithemius, noſtro ſeculo proſpectum voluerunt, magis quàm ſuis temporibus. 372

Illud tantummodò perpetuum eſt, quod Deum authorem & coadjutorem habet; reliqua ad puſillum durant. 373

Fortunatum tempus, quo ſe Principes eò demittunt; ut non ſolùm inferiorum amicitiam ferant, ſed quærant, & pro ipſis ſolicitudinem gerent. 374

Plurium amicitia negotij dat plurimùm; haud tamen utriusque partis deſideria explet. 375

Non minima majeſtatis divinæ pars eſt, reconditos ſenſus & abſtruſas cogitationes exactè ſcrutari. 376

Vitam ſoli Deo deditam ab omni humanâ moleſtiâ expeditam, liberam, quisquis ſequitur; nec dolet nimiùm, nec gaudet ef- 377

257 Acerba præsentia, aliquando degenerabunt in salutifera futura. *Is*, 38.

258 Sanguinis innocentis gutta, in conscientiâ vindictam inclamat.

259 Calliditas hominum velocior est quàm pennæ, ira hominum truculentior quàm animalium cornua, dentes, ungues; malitia eorum profundior, quàm piscium in mari via.

260 Serviunt sceleribus, creata ad ornandum hominem; ferrum ut occidat, rete ut capiat, altitudo ut præcipitet, profunditas ut suffocet.

261 Non est simile aliquid homini. Nam in bono exultat Trinitas, Angeli, mundus: Ad malum exhorrescit Trinitas, Angeli, mundus.

262 Tentamur, nec extinguimur. Quis enim credat Dominum suorum posse oblivisci?

263 Ira Dei, ira interdum non est, & plagæ ejus sanant.

264 Sub Domini grandine felicius agunt pij, quàm ij quibus adversarius serenitatem immittit: quoniam illius grando roborat, & hujus serenitas enervat.

265 In pijs, calamitates tantùm absumunt absumenda.

266 Honoratior locus assignatur eis qui plus tule-

tulerunt, plus amarunt, plus contempſerunt.

Confundetur omnis ſcientia, quæ neſcit Deum: & peribit omnis indagatio, quæ malum indagat. 267

Superbi contemptores ſunt omnipotentis, audaces & confidentes; qui in agone adhuc rebellionem ſpirant; non ſecus atque ſerpens jam pedibus preſſus, pungit & inficit. 268

Humilium laudabilis eſt modeſtia, qua ſe Deo ſubjiciunt, illique ſoli confidunt; cujus manus intolerabilis eſt contra impios, cogitantes delere minutum gregem ipſis digniorem. 269

Reges & regna mundi, in juſtâ Domini ſtaterâ appenduntur & examinantur. 270

Id quod facere poteſt deſiderium ſpiritualium, & odium pariter carnalium; eo ipſo nil nobis debet eſſe pretioſius, quòd eodem nil nobilius. 271

Mundi bona perpetuum habent amaritudinem comitem. Mala verò ejusmodi ſunt, quæ aufugiunt ab homine Deo dedito, & carni minimè blandienti. 272

Quicquid infortunij movet homines, ita eos moveat; ut non majus ipſis videatur, quàm cui quærant remedium, & in tempore adhibeant. 273

Di-

274 Discendum à cunctis, quos docere nos posse putamus: & omni studio enitendum, ne subinde ad pristinam imbecillitatem relabamur.

275 Egregium est amare invicem & corrigere, fastumque omnem abjicere.

276 Bonum est afflictiones ferre patienter; melius in medijs illis gaudere hilaremque esse: sed longè omnium optimum, animum non penitùs abjicere aut desperare.

277 Deus in mediâ cruce, mirabilis est in suis.

278 Detrahatur priùs pinguedo nobis mundana, tum demum graciles erimus ad spiritualia ministeria.

279 Preces & Bibliorum lectio, sint principium & fundamentum actionum omnium nostrarum.

280 Fidamus Deo unicè, non æquè mundo.

281 Ea est hominum perversitas, ut mundo priùs valedicere nolint; quàm Deus eos ita molliter excipiat, ut non perdidisse, sed commutasse voluptatem sentiant.

282 Anima Dei est, corpus terræ: cui sine pompâ tradendum.

283 A lachrymis, à prolixis inscriptionibus & splendidâ memoriâ, meritò sibi temperent Christiani.

Ex majori amore, majus est desiderium. 284

Prima vocationis vox per universam S. 285
scripturam: relinquere omnia & sequi,

Inter ludos Biblicos & pios, crescit pue- 286
ritia Christi; vincitque illa synagogistarum
acumen.

Consilium Dei longè ab hominum dif- 287
fert; qui ijs inprimis delectatur, quæ mundo
videntur absurda: paupertate, simplicitate,
timore, &c. atque adeo omnibus ijs, quæ ex-
ternè videntur duriora, internè suavissima
sunt, ac serena maximè.

Arcanum hoc est, captivum fieri, ut ad 288
regnum quasi evehariss: Oves pascere, ut
perenne solium inscendas. Ac quomodò
Christus ipse fecit, mori ut vitam restituas.

Homine natus, varijs corporis, animi & 289
bonorum casibus obnoxius est.

Qui maris fluctibus jactantur, sperant 290
reperturos se aliquandò terram: qui bona
sua laboriosissimè parta, aut incendio, aut
deprædatione aut infortunio perdiderunt,
consolari se possunt iterum, & novam ac-
quirendi spem concipere. Quid ni Chri-
stiani?

Sunt qui vivere neminem posse putant, 291
aut sanè commodè vivere, cujus ædes non
vacua aliquot conclavia habeant, cujus pa-
rietes

rietes non vario ſupellectili, imò onere inutili eniteant, cujus menſa non varijs ciborum generibus inſtructa ſit, cujus ciſtæ non aliquot veſtimentorum formas, ac ſpecies contineant: quibus tamen nos carere poſſe gentiles etiam, optimè intellexerunt.

292 Ita abundent Chriſtiani, ut jucundiſſimum ipſis ſit, humanæ imbecillitatis neceſſitudinem quàm ſæpiſſimè experiri.

293 Deo relinquendum de hominibus judicium; qui ſatis ſuperque in operibus ſuis oſtendit, quanti faciat hominem, & quàm invitus ad vindictam deſcendat.

294 Ordiuntur nonnunquàm homines, dum reſpirandum erat, ſcholam Rhadamanticam; quam non habuerunt cum majora ipſis incumberent pondera.

295 In afflictionibus Deo nihil præſcribamus: cum denarios ſuos ijs etiam det, qui æſtum ſolis, & diei labores non ſuſtinuerunt.

296 Tantulum non eſt, ingenijs ac inprimis liberrimis imperare, quàm multis videtur: ſed connivendum nonnihil usque deferbuerint.

297 Amici ſibi invicem largiſſimarum opum, & pretioſiſſimorum theſaurorum inſtar eſſe poſſunt.

298 Igni ultimo abſumẽdum tradetur, quod

vix Christo præ foribus stanti & petenti datum fuisset.

Multùm interest, demus nostra Deo, an ille violenter nobis auferat. 299

Typus Haman, docet inter meras minas consistere piorum afflictiones. Minantibus autem subeunda sua excogitata mala, sustinendosque laboriosè conquisitos cruciatus; neminique timendum Phalaridis taurum, nisi authori. 300

Inter preces gaudendum. 301

Fraternitas Christi, adeò est humano generi honorifica ; ut sublimius nihil Angeli proferre, & linguâ suâ enuntiare possint. 302

Naturæ imbecillis & terrenæ originis reliquiæ, Christum nunquàm tanti faciunt ac faciendus est ; nunquàm magis quàm parentes, uxores, liberos, amicos, opes, addo etiam scientiam, diligunt. 303

Christus super omnia amandus, & amori ejus cuncta posthabenda, quæcunque corpori sunt gratissima : id quod Biblia perpetuò inculcant, ac ipsa natura expeditissimũ vitæ genus esse ostendit. 304

Homo mirabile est animal, in quo convertendo etiam Deus artem quasi adhibet. 305

Quærendo nimiùm, nec non acquirendo, multa perdere possumus. 306

Omninò

307 Omninò is est majoris humilitatis, qui in eo loco, ac ijs fortunis, ubi superbire potest, animum demittit; quàm quem penuria rerum & infelicitas eò adigit.

308 Tempora ea instant, quæ satis superque admonebunt mundum nuditatis, vanitatisque suæ.

309 Tanta Sathanæ ex Dei indulgentia potestas, ut Ecclesiæ fugiendum sit præ eo, dandæque ei alæ; cùm potiùs interimere eum posset Dominus, nisi servatum vellet, quod semel ordinavit.

310 Corda non superficiem formatote.

311 Iucũditate temporis amaritudines temperatote; viribus Sathanæ ne ceditote.

312 Multùm possunt parentum vel lachrymæ, vel iræ, vel preces, vel objurgationes, vel accusationes. Vix enim sic insaniunt homines, ut si utrunque & malum & bonum ipsis dono detur, non eligant bonum; cùm malum sub boni larvâ tantùm imponat.

313 Terreni pulveris multùm habens inspersum, de morte nunquàm nisi cum horrore cogitabit.

314 Vitæ nostræ filum ex Dei manu dependet; qui id non cæco errore abrumpit, sed prout nobis cum eo & ipsius legibus convenerit,

venerit,ita vel nodis crebrioribus implicat, vel ex improviso dissecat.

De salubri Panace prospiciendum, quoties malum evitari nequit. 315

Æquum est, ut qui dolores communes habuerunt, gaudij etiam dulcissimorumq; fructuum fiant participes. 316

Circumstrepentibus aures mortalium omnium malorum rumoribus; majus Christianę fiduciæ specimen exhibere haudquaquàm possumus, quàm gaudere semper & læta facta celebrare. 317

Omnes turbas januam ingressumq; ad supremam immortalitatis felicitatem habemus; imò propter nos penè & in gloriam nostram, orbem commoveri & concuti scimus. 318

Bella hominibus meritò metuenda; ut quæ eos de miseriâ in miseriam, atque â temporali in æternam transmittant. 319

Mundus fastuosissimis & festivis suis solennitatibus maximè offendit Deum; pessimaque consuetudine pompas illas solicitè & artificiosè describit, depingitque: nè hominibus unquàm tantæ iniquitatis memoria excidat, aut scelus desit quod imitentur. 320

321 Gaudij & mœroris mixturam, nostra tempora omninò requirunt.

322 Dei misericordia, & nostra indignitas agnoscenda.

323 Vmbra debetur ijs, qui ad umbram primi sua contulerunt.

324 Qui in Deo omnia possident, ijs aliorum amicitiâ opus non est.

325 Belgarum sanguine, flamma quæ orbem incensura videbatur, extincta est.

326 In circulo, finis initio est propinqua maximè.

327 Hostem se mundi & mundanorum mōstrorum apertè declarat, verum qui se Dei amicum profitetur.

328 Ignitum examen illis, quibus candor & sinceritas in pectore, innocuum; sed fraudium maculis notatis planè intolerabile.

329 Divina Theologia, ab illâ hominum frigidâ & supervacaneâ plurimùm distat: quamvis hæc familiarior Deo, & ei proxima appareat.

330 Felicior qui seipsum, quàm qui alios moderatur.

331 Amabitur qui dilexit, extolletur qui se subjecit, coronabitur qui toleravit.

332 Delicatis quævis aura gravis: induratis etiam tempestates tolerabiles.

Deus

Deus optimus maximus universi condi- 333
tor, ipse sibi est bonorum omnium admonitor, causa, præmium; neque ullo modo quàm seipso honoratur, sibique gloriosus unus est.

Spuriochymia in veram religionem bla- 334
sphema est, & â Deo paulatim abducit ad Sathanam.

Miseri homines quibus vix humana no- 335
scere datum est, in spiritum sibi judicium sumunt & discretionem.

Aurum hominibus semper in Corde est, 336
quicquid lingua Deum aut divina crepet, quicquid subsidium pauperum. Malunt enim rem familiarem augere, quam sapientes esse.

Tantum est in Germaniâ fimi, ut vel de- 337
cem Hercules exportando non sufficiant.

Persuadere cœlestia terrestribus præpo- 338
nenda, non ab eloquentiâ semper consequimur.

Deus hominum oculos, aures, linguas, 339
manus ligatas habet; cujus typum præbent Sodomitæ.

O Biblia, Biblia qualia habetis, & quàm 340
clarè loquimini, nec vos intelligunt, qui id maximè præ se ferunt.

Tanta est hominum curiositas tam de- 341

licati ipſorum ſtomachi, ut propemodum ſordeant religio,cœlum,Deus.

342 Mirabiliter ſomniare ſolent, qui ultrà quàm homini conceſſum eſt, ſcire appetunt.

343 Cum mundo ineptiendum aliquando.

344 Domini voluntas eſt, per ignem & aquã tranſire noſ ad ſperatam requiem, pacem, gloriam.

345 ~~[redacted] ligio perpetuò ſibi ob ſubtilitatis opinionem placet, & Chriſtum exiſtimare geſtit, qui induratione ſeſe vindicat.~~

346 Adulator non â Corde mutuatur blanda & mollia ſua verba;ſed linguæ ipſius liberalitas eſt.

347 Non prodeſt prudentia, ſapientia, eloquentia & aſtutia contra Dominum.

348 Firmiter credamus, neque ſuſpirium ullum,neque deſiderantis animę votum unicum interire, cujus non nota aliqua apud Deum extet.

349 Naturalia amemus, ſed ante omnia cæleſtia; neque ea quæ ad pompam vel voluptatem faciunt.

350 Furioſi homines,quę maximè appetunt, ea paulo pòſt â ſe repellunt, mox ijsdem ſe iterum

iterum implicant; in nullo fere negotio aut consilio perseverantes.

Vitam quietis, quæ plana, lucida, & sine casu est, nec discere vult quisquam, & eam ingredi audet nemo: Sed in adversum quæ aspera duravè est, omnes feruntur præcipites. 351

Non fuit nostro seculo curiosius. 352

Curiosus nemo nisi otiosus. 353

Alchymia si nullâ aliâ re imponit, hoc nomine suspendio digna est; quòd sectatores suos mendaces, vaniloquos, impostores, falsarios, idololatras & vespertiliones facit; Deique contemptum per scelestas figuras introducit. 354

Quid de Antichristi crudelitate conqueruntur, ejusque ruinâ gaudent, qui fidem in Deum nullam, charitatem in homines nullam, emendationem in vitâ nullam ostendunt? 355

Quibus castitas, pietas, virtus cordi est, eos nec terror, nec favor, nec auri massa in diversum rapit allicitque. 356

Terræ ob sceleratum semen maledicit Iehovah. 357

Deo indulgenti & spatium resipiscendi concedenti, corde contrito, & pœnitente eundum maturè est obviam, nisi irrepara-

bilem animæ jacturam quis facere velit.

359 Qui animæ medetur, illi plusquàm omnibus artificibus debetur.

360 Vera ſomnia, quæ ſingulare quid continere, & divinum videntur, amplectamur non negligamus.

361 Deus ſapiens, ſua non unâ die confert hominibus, reſervans ſibi infinita.

362 Temporis ſui felicitatem nemo prætermittat oſcitanter.

363 In luxum aut voluptatem nimiùm eſt quicquid inſumetur.

364 Noſtri labores, quibus nos emaceramus, ſæpè non abſimiles ſunt eorum, qui in navi diſcurrunt fruſtrà, nec multò ſudore quicquàm promovent.

365 Bona quanta ingenia alat, Germania nec agnoſcit; atq; inter nobiles etiam, qui alioquin otio, luxu, faſtu diffluunt.

366 Ex raro & inaudito ingenio, nihil non poteſt non prodere mirabile.

367 [redacted]

368 Non poſſumus non amare, qui nos amant; & eorum etiam miſereri, qui nullo ſuo merito mundi hujus malis premuntur.

Sexus

Sexus muliebris in abſconditis nimiùm curioſus, ad ridicula & tenuia facilè delabitur. 369

Ingratis facilè memoriâ excidunt beneficia, gratis altè inhærent. 370

Indocti Monachi in conficiendis membranis & pingendis literis, cœli influxum obſervarunt; non ſine ſecreti prægustu. 371

Abbates Ioachimus & Trithemius, noſtro ſeculo proſpectum voluerunt, magis quàm ſuis temporibus. 372

Illud tantummodò perpetuum eſt, quod Deum authorem & coadjutorem habet; reliqua ad puſillum durant. 373

Fortunatum tempus, quo ſe Principes eò demittunt; ut non ſolùm inferiorum amicitiam ferant, ſed quærant, & pro ipſis ſolicitudinem gerent. 374

Plurium amicitia negotij dat plurimùm; haud tamen utriusque partis deſideria explet. 375

Non minima majeſtatis divinæ pars eſt, reconditos ſenſus & abſtruſas cogitationes exactè ſcrutari. 376

Vitam ſoli Deo deditam ab omni humanâ moleſtiâ expeditam, liberam, quisquis ſequitur; nec dolet nimiùm, nec gaudet ef-

fusè, nec sperat vana, nec metuit mundi mundanaque terriculamenta omnia.

378 Si exiguum est quod hic vivimus,& perpetuum victuri aliquando sumus;vivamus tanquam abituri ad momentum.

379 Vita Christo proxima, â mundo remotissima,longè omnium optima.

380 Sicut Dina cum expatiaretur vitiata est; ita accidit pijs,quotquot in mundum voluptatis gratiâ descendunt.

381 Qui Christo totos se consecrârunt, ne confidant solos se mundi illectamentis posse resistere.

382 Facilis eorum conversio, qui erroris maturè admonentur.

383 Nunquàm tantùm honoris in mundi summo gradu, quàm est in Christi infimo.

384 Qui semel se mundo concredidit, facilè abripitur imprudens; ut sui & eorum quæ Dei sunt obliviscatur.

385 Glorificemus Deum; cujus tanta benignitas,ut ob futuram pœnitentiam,præsentia nobis delicta condonet.

386 Stultitia regnavit,obliterato Magiæ nomine,loco sapientiæ.

387 Præfractum mundi ingenium, virgâ ferreâ opus habet.

388 Mira & improvisa est Dei ad munera sua

vocatio.*Rom.*11.ſunt irrevocabilia Dei munera & vocatus.

Deus ſuos explorat luſtratque per cru- 389
cem haud perpetuam; ſed cum æterno impiorum dolore aliquandò deſituram.

Sapientiſſimus Deus ita fabricam ſuam 390
conſtruxit,ut homini voluminis inſtar magni ſit; in quo & divinæ majeſtatis expoſitas opes contempletur, & ex quo ad vitam beatam præcepta ſibi idonea petat: atque ita in hoc Dei theatro deambulet,ut choragi ſui actus, ſcænas & interſcænia nequaquàm ſomnolentis oculis prætermittat.

Verbum Dei myſtico ſenſu abundat;ad- 391
eoque dives eſt,ut quicquid haureamus,exhaurire minimè poſſimus.

Sublimius nihil eſt, quò deſcendat ho- 392
mo,dum corpus ſecum trahit, quàm ſcire VERUM agereque BONUM: quod ſcire DEUM,cœleſteque regnum & naturæ intima aperit;Vitam verò ſanctam & optimam reddit,agere BONUM.

Vita à Chriſto derivata, ipſius exemplo 393
conformis ſit; neque cum mundo quid commune habeat.

Servi, Deum metuunt Gehennæ metu; 394
Mercenarij Deum amant,æternę vitæ amo-

re: Filij uni Deo ſe totos credunt, totiq; ab ipſo pendent.

395 Nohâ fabricante arcam, tempus erit reſipiſcendi, aut nunquàm erit.

396 Gaudia & Voluptates abſque Chriſto meri ſunt cruciatus, miſerabiles ejulatus, & futuræ infelicitatis prodromi.

397 Ea eſt generis humani infelicitas, ut locum eum, quem ei Deus aſſignavit, nunquàm poſſideat quietum.

398 Homines ad mutuam cædem, lanienam & internecionem ſeipſos invitant, ac libenter comparent: tametſi poſt infinitas calamitates, miſerabilesque bellorum turbines meliùs nunquàm habeant, ſed tantùm vitæ hujus tædium incurrant.

399 Omnium malorum incentor & inflator unicus, Diabolus eſt. Natura verò humana, ad infelicia cuncta ſubjectum mobile.

400 Homo ſæpè, non tædio vitę hujus aut futuræ deſiderio, ſed alienæ ſolummodò voluntatis gaudens obſequio, morti ovans it obviam.

401 Germania omnium ferè gentium mater, mundi periodum terminabit.

402 Mali cum bono, vitij cum virtute, impietatis cum religione naturale & arcanum eſt diſſidium: hisq; ab illis perpetuò bella moventur.

Pater

Pater impudentiæ diabolus,simulator & æmulator,excogitavit suis bonam caussam & gloriam; quibus dementatos adducit ad id,quod incredibile videri posset. 403

Tantò speciosiùs Sathan sua inventa hominibus insinuat, quātò ob naturæ vitium faciliùs illabuntur. 404

Conscientiarum tranquillitatem & confidentiam,divina inspiratio & universitatis hujus harmonia excitant. 405

Monarchiæ arcano Dei consilio & Ecclesiæ perutili,exortæ sunt. 406

Christiana religio, una, quicquid in naturâ optimum est,sequitur; quæ & divinis irradiatur revelationibus. 407

Principes ita alijs præsint, ut quos populus in suam salutem eligit, non illi populum ad voluptatem ac libidinem regant. 408

Tyrannorum ferè omnium Exitus miserabiles. 409

Irato Deo nos servimus maximè,eodemque placato liberi sumus maximè. 410

Confœderationis temeritas, â condito mundo omnes penè gentes pessumdedit. *Is.*8.2.*paral.*18.19.20. 411

Tanta fictitiæ, & mortalis immortalitatis vis est, ut ab homine possit omnia impetrare, quæ natura nunquàm ausa fuisset. 412

expetere: mendax tamen eſt injurioſa, indiſcriminatim laudis ſuæ prodiga; & poſt puſillum ſuorum oblivioſa & omninò deſitura.

413 Servili ingenio ſumus, & ſervi qui deſituræ immortalitatis perſuaſione; non cuilibet tantùm imperanti verbo, & incitanti voci, ſed illi ipſi quàm nobiſmet fingimus honeſtati alligamur.

414 Amor belua, etiam in pacatâ naturâ indomita.

415 Vindicta ex implacabili irâ enata, plerunque eousque progreditur; ut cruciatus ipſi vix voluntati pares, imò mors exiguum videatur.

416 Ad injuriæ nomen libenter omnes conſurgimus; alienam indignationem tam libenter noſtram facientes, quàm Chriſtianam charitatem promptè exuimus.

417 Videndum, ne quis ſanguis innocens nocenti admiſceatur; imò propter innocentē nocenti parcatur.

418 Pijs ſtomachum movent Sathanæ caſtra, exprimuntque gemitus.

419 Homines ſumus, jam à primi hominis defectione ſervitijs Sathanæ, quàm libertati in Deo magis aſſueti. Homines unius atq; dulciſſimæ mortis metu, in mille miſerabiles mor-

les mortes detrudendi; Homines nec post Christi gloriosam reconciliationem Deo satis fidi: quibusque unis id insigne absurdum insitum, fugiendo mortem quærere, & invenire.

Politiarum quę maximè liberales libere- 420
que institutæ sunt, quæque hominum quãtùm fieri potest æqualitatem, ac vitæ aliquam [illegible]bilitatem quæsierint, nota est felicitas, bonorum affluentia; cælica esset defensio.

Naturale est, eos quibus idem in vitam 421
ingressus idem egressus, non nimiùm vitâ differre.

Nihil infeliciùs, nil divinâ ab ope ac præ- 422
sentiâ usque adeò derelictum: quæ ubi homo honores sibi divinos sumit, ubi factorũ & arbitrij sui judicem admittit neminem, ubi halitu ac visu quasi homines interimit.

Quantuli nobis videmur; qui tanti visi 423
sumus filio Dei, ut miserrimâ morte libertatem nobis redderet!

Libertas excellens, post maximam de- 424
pressionem, præmium quasi & corona diuturnæ tolerantiæ contingit (Belgis.)

Tyrannus naturalium legum, & humani 425
pudoris obliviscitur, humanæ societatis vincula rumpit.

426 Vbi Deus ferrum ſtringit, aut nos pro Deo; ibi otioſi quaſi ſpectamus hoſtium noſtrorum ſtragem.

427 Plerunq; Dei cauſam noſtram facimus, noſtramque Dei; mixtura uni Deo dijudicanda.

428 Omnes omnes quicunque annos ſuos & labores mundo locârunt, de ingratitudine conqueruntur.

429 Quicunque ſine mutui officij reciprocatione imperant; tollunt ſocietatis nomen, Dei voluntati, imò exemplo repugnant.

430 Pij qualiscunque obedientiæ ſuæ, & infirmæ in Deum fiduciæ accipiunt fructum ac præmium; Chriſti fraternitatem, æternæ gloriæ hereditatem, & Trinitatis S. S. perpetuam converſationem.

431 Creator cum Creaturâ ita quaſi pactus eſt; ille vitam, motum, exiſtentiam, cunctaque quæ excogitari poſſunt bona det, hæc ei cultum & adorationem.

432 Apum ſtupendum regimen, libertatis veræ, id eſt commodè in hâc terrâ vivendi Idæam repræſentat; amore ſuperiorum, veneratione inferiorum, laborioſitate utrorumque.

433 Caput, ornamentum curamque confert: Membra, alimentum & defenſionem.

Tempe-

Tempora nostra uti ad mundi finem appropperant; ità penè universæ bonitatis Dei quasi summam & compendium, malitiæq; Sathanæ universæ exhibent. 434

Hæreses tenebras ipsæ appetunt; neque cum veritatis unquàm luce, nisi magnâ suâ ignominiâ cachinnisque spectatorum congrediuntur. 435

[redacted] 436

Cùm succubuisse videtur Christus, fortissimè pugnat; vincit cùm victus creditur; vivit cùm mortuus. 437

Quando securè de libertate, de religione, tanquàm jure belli captis consulitur; supremus ille Choragus actoribus alijs, alio Theatro, aliâ etiam scænâ, inexpectatum introducit plausum. Quod opes non poterant, pauperies faciat, quod nō munitiones, ruinæ; cataphractorum numero, inermium paucitas substituatur, victoriosis parentibus inexercitati orbique adolescentes. 438

Vna Dei manus, eademque bonæ causæ 439

patro.

patrona; & eripit victoriæ triumphum copijs,& tradit manipulo.

440 Vi minori, Christi fidelissimis manibus derelictum,at majori miraculo peragitur.

441 Vincit perpetuò Veritas, vincit religio; vincit bona causa.

442 Deus qui ægrè suis irascitur, libenter iisdem reconciliatur;quâ abeuntes à se,manibus [redacted]

443 [redacted] irritus,ita externi hostis re[redacted] internus toleratur.

444 Arma expediamus, fœdera ineamus, opem sollicitemus, copias numeremus, apparatum faciamus;nunquàm minùs parati, nunquàm tuti minùs erimus, quàm si tantillum his confisi fuerimus.

445 Exeat patriâ nostrâ Luxus,libido,impietas,avaritia,solutaque vita;proditores scilicet patriæ,& quę hosti venienti portas pandentes faciunt. Ordiatur emendatio N:nivitarum in morem, comitetur conceptas preces vitæ reformatio, adjungantur fœderi cũ Deo novæ vitæ conditiones, redeat illa terreni luti abdicatio, & induamur candidis

didis candoris Christiani indumentis, & redibit Dominus in castra sua.

Fracti orbis ruinas impavidè excipiamus, 446
Romani cœli fulgura, fulmina, grandines, vortices, turbines, contemnamus; arcani Dei consilij velo involuti.

Quantò Papam videmus furere impo- 447
tentiùs, quantò spirare flammas & venena exhalare crebriùs; tantò capita nobis extollat altiùs, ut liberationem expectemus.

Papæ incrementa metuenda ampliùs nō 448
sunt: quotidiè decrementa ejus intuentibus, cuivis percussori jam maturi, spectatoribus quasi quo impetu, quo murmure ipsa natura creaturarum omnium voto cū turpissimè ejectura, locumque ab eo inquinatum lustratura sit.]

Causa cum divinâ voluntate cōsentiens; 449
eque verbo omnipotentis Dei nata, stat stabitque recta, immota, etiam intacta.

Bonæ causæ impugnatores quidem [ali- 450
quandò deerunt, defensores verò nunquàm.

Felices quoscunq; non voluptatum fla- 451
gitia, sed Domini S.S. militia, non vita mollis, sed Ecclesiæ utilis, non mors otiosa, sed in negotio Domini laboriosa habebit socios; occupabit sedulos, avocabit gloriosos.

Illorum

452 Illorum demùm perfecta & fortunatissima est amicitia, quos Deus arcano suo consilio ita connectit; ut in eo, quod maximè divinæ voluntati & naturæ regulis convenit, consentiant.

453 Quantò divinius est amicorum connubium, tantò etiam rariùs inter nos apparet, tantoque implacabiliorem habet humanæ gentis hostem.

454 Sathanas levi momento amicitias disturbare solet; ubi sola jucunditas vel utilitas saltem intervenit.

455 Amore verò reciproco, cujus vinculum Deus, nil homini concessum jucundius, nil divinitati propius.

456 Amorabundus Christus, charitatis mutuæ quasi societatem doctrinâ & exemplo instituit; hominumque omnium præeminentiam fratrum appellatione confudit.

457 Christianismus ferè aliud nil est, quàm fraternitas quædam magna eorum, qui renunciato mundi & voluptatum ejus amore, in uno capite & fonte amoris Christo conspirant; propter eum sese diligunt invicem & benefaciunt, propter eum egentibus sua distribuunt.

458 Verè beati sunt ita Deo addicti; ut eos mundi

mundi fastidium, & vitæ rationabilioris desiderium utrinque capiat.

Habere propositi sui approbatorem, arcanorum conscium, errorum admonitorem, â mundi illectamentis revocatorem, in adversis consolatorem, in prosperis gaudij moderatorem; ejusque omninò quod Deus dedit, participem, & ad quoscunque casus paratum amicum; maxima felicitatis in hoc mundo pars est. 459

Ea vita, quâ hujus ætatis more vivitur, quæque mundo communissima; nil excogitari potest laboriosius, nil meserius quicquàm. 460

Vniversus orbis suavius nil habet harmoniâ eâ, quæ â Deo oritur, quæ ab hac universi pulcherrimâ structurâ excipitur, inque hominem homini unitum derivatur; quæ tamen nuspiàm nisi ubi, in, per, & propter Deum, inter homines amor, consensus, eademque voluntas, creaturarumq; reliquarum benignum & liberale ministerium est. 461

Quotquot Deum vitæ suæ & amoris fundamentum habent, illumque cœlum suum, Angelosque, stellas suas faciunt: ab altero reato cœlo, astrisque omnibus, nihil periculi 462

periculi metuunt; ut qui omnes creaturas ſibi propitias ſervileſque experiantur.

463 Vbicunque Deus amoris centrum figitur, illiusq; exemplar oculis humanis præfigitur; ibi nulla diſtinctione exceptioneq; illicò oportet longùm valere, & plorare Sathanam, mundum & mundana omnia.

464 Vt circulus, ſemper unico ſuo centro innititur; ſic candidorum ac Chriſtianorum pectorum rotunditas; unam eam optimam ſibi eligit dilectionis baſin.

465 Nunquàm fit, ut ardenter quiſquàm animæ ſuæ ſocium amet; qui cum mundo (tãto ſcilicet animarum hoſte, pernicie tantâ) commune tantillum habet.

466 Ineffabilis majeſtatis Deus eò ſe demiſit, ut cum creaturâ ſuâ, ſuo quondam hoſte, nunc indigniſſimo ſervo, fraternitatis intimæ arctiſſimæque fœdus inierit.

467 Deus ſi quid de ſuo redditur, magnâ gratiâ & infinitis præmijs accipit.

468 Non poſſeſſores, ſed diſpenſatores ſumus bonorum cœleſtium: quæ ſi unis nobis reſervamus, furum peſſimi efficimur.

469 Qui inacceſſibilem lucem inhabitat, ſedemque cœlum habet, terramque ſcabellum; ita hominis amore ardet, ut nuſpiàm niſi

nisi in fidelis pijque hominis pectore requiescere, delitescereque malit.

Deus in amore perfecto nobis præit; nec facilè ullâ in re magis elucescit, lucescit, quàm dilectione. 470

Opes mundus magnifacit; Christus & vanas eas ostendit, & periculosas, & sacro viatori plenè abjiciendas. 471

Christus cum discipulis pauperem vitam eligit, egitque, dum perfectissimè viveret; â quo descivit, secus faciens Ecclesia. 472

Natura ipsa omnem superfluitatem ridet damnatque. 473

Hui quantùm mundus â mundo differt, opes si tollas & honores: cui uno quasi hoc invisus Christus; quia ipse pauper esse vult ac humilis. 474

Opes post necessitatem supervacaneæ planè sunt, & molestissimæ: quæ quærendo habēt molestiam, & conservando laborem, amittendo dolorem. 475

Quantò Deus parcius minimoque sumptu honorari & cœli vult; tantò mundus sua vult habere sumptuosiora & laboriosiora. 476

Mundus hystrionico apparatui & ceræmonijs deditus, de corde nunquàm est solicitus. 477

Deus

478 Deus ècontrà, corde pio & fideli, maximè afficitur & delectatur.

479 Dum Christus ad mundum non quadrat; etiam ministros ejus dispares, eique ridiculos, inæquales & inimicos esse oportet.

480 Risus, increpatio, avocatio; inter pios, & mundanos perpetuùm sunt reciproca.

481 Christi mundique mixtura, commoda dari non potest.

482 Mundanæ sapientiæ, eloquentiæ, prudentiæ examen, Christianâ simplicitate, silentio, securitate eludamus: nec quēquàm præ Christo nostro aliquid scire, benè loqui, utiliter consulere posse credamus.

483 Mundi revolutio brevis est comędia, nos unius scænæ hystriones; ubi res omnes aliter quàm sunt, describuntur atque exhibentur.

484 Germania nostra, quondam simplicitatis integrique custos; nunc externarum ineptiarum ineptissima æmula est.

485 Apparet longè aliud esse Dei, quàm mūdi de hominibus judicium, longè alios oculos, & politiam toto à mundo aversam.

486 Deus obscura, abjectaque sibi eligit; & quæ mundus maximi facit, aspernatur. *Luc.16.*

Chri-

Christianus meliùs opes suas in paupe- 487
rum ventribus, quàm ullis loculis recondit;
cujus encomia in precibus illorum fundan-
tur.

Reformatorum vita nunc vix gentilium 488
honestati, temperantiæ, abstinentię respon-
det; tota sui decoris in Christo oblita.

Modicum hoc & imperfectum, non sit 489
nostra portio; sed illa æterna, perfectissima,
& ineffabilia.

Animæ, quæ immortalis, potiùs quàm 490
corpori paulò pòst exuendo, prospiciamus.

Opes onerant, honores inflant, scientiæ 491
turbant, vires præcipitant, voluptates infi-
ciunt; omnia verò cœli simul ac inferni ob-
livionem adducant.

Christò faciliùs nummo, quàm mundo 492
integro floreno satisfacere possumus.

A barbarorum vita, non libris, non Aca- 493
demijs, non titulis: sed moribus quos Chri-
stiano philosophia præscribit, differamus.

Reformatæ in Christo vitæ norma, sicut 494
optimæ religionis confessores: ita optimæ
vitæ imitatores demonstret.

Quantùm institutione valeat Deus, id 495
Apostolorum & sanctorum suorum exem-
plo edocuit.

Vbi humana sapientia desinit, mundiq; 496
scientia

ſcientia in nobis colliqueſcit; ibi Deus opes ſuas expandit, inexhauſtosque theſauros aperit, ac liberaliſſimè diſtribuit.

497 Vnis Chriſtianis natura rerum ſuccumbit, naturalesque leges effringit firma ſolidaque fides.

498 Vitæ æternæ ſecuriſſimi in maximo periculo verſantur; ne quem hîc cõtemnunt, illîc etiam contemnat, quem viliſſimis rebus hîc poſtponunt, illîc ad ſe non intromittat: cujus amorem & invocationem ad extremum vitæ punctum differunt, illîc nõ omnibus reſpondeat & ſuccurrat.

499 Inter eos verſamur, quibus omnia Chriſti præterquàm quæ ad humilitatem, patiẽtiam, paupertatem & ſummatim mundi contemptum vocant, placent: & qui illi, non niſi per otium & aliud agendo ſerviunt.

500 Heu nobis, qui ad eas functiones vocamur, in quibus non niſi infeliciſſimè & perditè mori licet.

501 Vita Chriſti Chriſtiano ſit navicula, malus crux, velum glorioſæ victoriæ Chriſti vexillum, cynoſura fides; remi preces, dilectio, patientia, temperantia; victus verbum Dei, amictus innocentia Chriſti; anchora Dei voluntas, venti Sancti Spiritus flamina, quibus

quibus omnibus prope simplicitatis Christianæ tutissimum littus, in optatissimum usque hereditatis æternæ portum properabit.

Nemo se rebus ullis unquàm, quæ ad vitam æternam illi usui non erunt, implicet. 502

Terrenis non aliter quàm commodatis, & ad singula momenta hilariter prompteque amittendis, abjiciendis, relinquendis utamur. 503

Deus humiliter consultus, gloriosè respondebit. 504

In eum locum à Deo liberalissimo constituti, ubi benè de hominibus mereri possumus; etiam cum supremis regibus amore, officijs & optabilibus quibusque rebus certare audemus. 505

Potius nihil scire, quàm Academicas artes tantùm scire optemus. 506

Restituto homine, restituuntur quoque propter hominem creata: hucusque servituti corruptionis obnoxia. 507

Oculi sacerdotio fungantur, cornua præsint politiæ. 508

Corporei ex toto sunt, quos premunt tenebræ crassæ & spissæ. 509

Optimi illi, qui maximè colluctantur; & 510

crepusculum inter vesperam & manè experiuntur.

511 Ita Deo credamus, ut de quibus totus mundus desperat, futura promissa certò sciamus; & invisibilium spe, visibilia relinquamus: contra omnem naturæ ac mundi ordinem ingredientes.

512 Qui liberis suis se optimè prospicere putant; meliùs in Deum posse, minimè induci possunt ut credant.

513 Deus mortuos sibi optat, & cæcos, & mancos, & securos, etiam dormientes; in quibus, & cum quibus operari vult gloriosè: hancque omninò gloriam affectat, ut sicut ipse facit omnia, ita fecisse etiam videatur, nec manus suas aut ingenium accessisse gloriari quis possit.

514 Consurgit Deus ubi nos considemus; erigit sese, ubi nos jacemus; tum curat, cùm nos securi sumus; tum vigilat, cum dormimus, tum vivit, cùm mortui sumus.

515 Deus non vult nobiscum curam dividere, sed eam solam possidere; satiare cùm nos ex mundi epulis surrexerimus, vestire cùm nos etiam possessas vestes abjecerimus, suis palatijs excipere, quandò ex habitationibus nostris exiverimus, docere cùm jam terrena nesciverimus, & beneplacitos suos vocare,

care, cùm omnibus penè hominibus atq; in omnibus displicuerimus.

Tum demum gloriosè Reges regnabunt; quandò humillimè Deo suo servierint. 516

Tentaminum plurimorum discrimina, plurimâ laude & gloriâ decorabuntur. 517

Deus in fabricandis arcâ & tabernaculo non voluit homines tantùm conservare, & fœderis tabulis tectum extruere; sed futurorum Messiæque mittendi umbram exhibere sapientissimè. 518

Vmbra, omnia corporis majora sive expansa membra, repræsentat. 519

Pauci hoc nostro felicissimo seculo & erudito, Creatoris sapientiam in Creaturis, & hujus tam admirandæ machinæ structurâ rimantur. 520

Ad humanam societatem utilia, omni laude & famâ dignissima sunt. 521

Omnium nostrorum conatuum & negotiorum, optimum & certissimum est fundamentum Deus; qui uti semper, ita maximè in arduis ardentissimè invocari debet. 522

Qui ingenio Reipubl. servire volunt, valeant ingenio maximè; qui laboribus, viribus præcellant. 523

Sedulitas, si constantia adsit, incredibilia 524

præſtat;adeò ut non rarò ingenioſum oſcitantem,à tardiore laborioſo ſuperatum deprehenſum ſit.

525 Vllo juramento temerè ne aſſueſcito.

526 A mulierum alienarum amore penitùs abſtineto.

527 Ebrietatem ceù peſtem fugito.

528 Victu moderatè utitor.

529 Prava ſodalitia,ſtudijs detrimentoſa valdè,averſator.

530 Singulis ſermonis periodis,juramentum admiſcere;orationem deformat non ornat.

531 Ad Temperantiam quid aliud magis atque corporis valetudo invitabit?

532 Dei requiſita,ad ſummam felicitatem & ſcientiam, difficiliora non ſunt: quàm vel mundi,vel ſathanæ.

533 Nox plurimùm favet ſtudijs; cùm aër â turbis hominum maximè liber eſt.

534 Cùm natura claudantur oculi, aperianturque cum eâdem.

535 Si quid utile Reipubl.optari poſſet, illud eſſet; literæ homines non alerent, aut eos pauciores.

536 Otio & delitijs aſſuetum hominum genus, ad labores difficulter retrahitur.

537 Bonæ eruditionis ingens eſt uſus; quâ humana

humana societas ad infinita bona commodaque uti potest.

Deforme est, pro literarum gloriâ afferre, quorum minimum ne quidem habeamus. 538

Sapiens quotiescunque voluerit, potuerit ditescere. 539

Deridendos se propinant nobiles, gloriantes de majorum suorum virtute & fortitudine; nisi fortes sint, & ipsi virtuteque præstantes. Secundum illud: Mea nobilitas in me incipiat. 540

Ita legere nos historias, & hominum acta inspicere oportet; ut quod optimũ imitemur, quod pessimum fugiamus. 541

Decet hominem eruditionem affectantem circumspicere, quàm primùm res aliqua celebris est; an fortunæ vel artis beneficium sit: & si artis apparet, de eâ ampliùs tanquàm suæ ipsius jurisdictionis cogitare. 542

Magno & nobili ingenio condignum 543
utrunque; multa & utilia mediocriter scire, vel in uno saltem studio excellere.

Divitijs indivulsè adhærent inquietudo, 544
morbi, labores, & multa incommoda.

Tantùm est Reginæ pecuniæ imperium, 545
ut plæraque mala ipsi debeamus; neque tamen illa etiam literæ obviam eunt.

546 Nomine hominis liberalis dignus non videtur, qui vel priorum seculorum, vel saltem sui seculi & temporis, aut denique patriæ suæ acta recitare non potest.

547 Tantam felicitatem afferunt bonæ literæ, ut futurorum penè præscios faciãt. Prudentia enim ex sapientum sententijs propemodùm vaticinatur.

548 Qui urbem unam vidit & montes, & planities, & arbores, & flumina, & pontes, & naves, & animalia, is terram universam vidit. His enim rebus ea constat.

549 Homines, & inprimis libri docere possunt, non sylvæ, maria aut urbes; uti ineptè peregrinantes credunt.

550 Quicquid ineptum, indoctum & vilissimum est Deo adscribimus: Si quid ingeniosum rarum & admirandum, hominum sententiâ Dæmonis est.

551 Deus hominum ingenia ita nobilitavit: ut exculta ea & à terrenis abstracta, maximè mira & quasi incredibilia præstare possint.

552 Maximum studiorum est, utilia saltem artium addiscere; & quæ simul ad conversationem hominum vel necessaria sunt, vel commoda.

553 Nec ineptè de artibus, si quando in dissserta-

ſertationem veniunt, judicemus; neque earum ſummis faſtigijs nos immittamus.

Converſationes plùs in memoriâ relinquunt, quàm ſi plurimo tempore addiſcendis præceptis deſudaverimus. 554

Potior eſt, & plùs confert ad conſtantiam Chriſtianam, patientiſſima conſtantia martyrum; quàm ille, qui pro cathedrâ, ob hanc, illam, aliam diſtinctionem ſudat, centumque diſputationibus, quæ Majeſtatem Divinam, omnipotentiam, omniſcientiam, etiam ſubtiliſſimè, ut nobis videtur, in dubium vocant. 555

Non adeò abſurdum eſt, conciliare ex parte aliquâ Galenum & Paracelſum; cujus non ſemper infeliciter adhibentur remedia, illius verò non ſemper feliciter. 556

Magia eſt multarum artium ſtudium; illudque aſſiduum. 557

Deus, cujus Sol impijs etiam oritur, nunquàm pijs honeſtisque conatibus deeſt. 558

Faxit Deus, ne quod verbum nobis inutile excidat, ne quod temporis momentum inutiliter effluat; ne quis malus conſultor, ab optimo inſtituto nos dimoveat. 559

In magno liberorum numero, illius dilectio & ſolicita cura maxima apparet, qui malè habet, reliqui negligi videntur; ut cun- 560

que hi primi sint gaudio maximo, illæ tristitiæ maximæ.

561 Inter impossibilitatis, absurditatis, invisibilitatis, consuetudinisque symptomata cruciantur; qui cum amicis, amoribus, auro, fama, delicijs confligantur.

562 Ad imbecilliores majorem curam, pluresque amoris explicationes convertere, haud iniquum est.

563 Bellicis tantis orbis commovendi minis involuti, atque hystrionicis murmuribus, aëris irregularibus, inexplicabilibusque insidijs, terræ fructuosâ sterilitate, hominum securâ trepidatione; firmis pectoribus è sublimi quoscunque casus intueamnr, & precibus piaque Oeconomia, potiùs quàm ullâ re aliâ nos præmuniamus.

564 Cui satis non est, ad mundi Arithmeticam jucundè non vivitur.

565 Sumptus in sumptuoso hoc mundo ei deesse semper manifestum est; quem ad alienum exemplar; victum, amictum; ædes, supellectilia, delicias, exercitia, habere oportet.

566 Quorum liberi non pietate, Christianâ disciplinâ, literarum institutione, Oeconomiæ scientiâ, parentumque honestate commendabiliores sunt; quàm quos larga dos, atque

atque rerum omnium etiam ingenij morumque luxuries comitatur; quorum denique amici non æternæ patriæ municipium, sed hujus opes & mercedem quærunt, maluntque dignissimum quàm Christianissimum, negotijs hominũ præfectum, quàm Dei umbrâ tectum; consiliarium quàm Eleemosinarium aliquandò habere & possidere; eorum quidem, ubicunque mundum consuluerint, res est desperata.

Deus sibi eligit, quæ hominum conjecturis, supputationibus ac divinationibus inaccessa sunt. 567

Quoscunque Dei fidei tutelæque nostris precibus concredimus; de ijs ultra fidelis, ac Christianæ curæ modum haudquaquàm simus soliciti. 568

Divinum Patrimonium, cœlestem dotem existimemus; Dei timorem, vitæ integritatem, precum assiduitatem: faciamusq; majoris longè, quàm ingentes thesauros, quæ durabiliora atque auro & gemmis accommodatiora ad degendum vitam gloriosissimè, possessores suos semper felices reddunt, infelices fieri non permittunt. 569

Mundus madentibus oculis intuebitur, eos angelico pane vesci nectarque bibere, 570

quos fame interituros crediderat;in medijs Tantali obsonijs,supplicio affectus.

571 Puero frustrà sublimiora Philosophiæ traduntur;cui nimirùm ab elementis incipiendum.

572 Inter Alphabetarios Christi sedere gloriosiùs profectò,quàm in pestilenti impiorum cathedrâ.

573 Molochus creaturarum ambitiosissima.

574 Homo divinæ sapientiæ ac potentiæ excelsissimum specimen, mundi rector & exemplar, ac creaturarum archetypus; adeò semet rebellione suâ destruxit,ut factus jam sit supra Sathanã impius ac infelicissimus, novaque creatione ad finem primum opus habeat maximè; id quod novi Creatoris Christi sui ope consequitur.

575 Deus idem sibi ubique est aspectu eodem.

576 Homo in se , & ex se, nil nisi inane vacuumq; est;bonitatis veritatisque nescium imò ab his aversum.

577 Quicquid ubique lucis, luminis, claritatis,illustrationisque est atque fuit,in unum solare corpus Christum nostrum collatum est; ab eoque liberalissimè iterum dispergitur.

578 Homines quotidiè moriuntur; nec magis

gis in quæ tempora posteros suos demittant, quàm argenti quantùm ipsis relinquant, soliciti sunt.

Acquiesce sorte tuâ qualicunque ut aliam non quæras; siquidem paucos intra annos, menses, dies, horas, momenta scilicet cum Mors accesserit, nec artis, nec ingenij, nec pecuniæ, nec formæ, nec virium ullum tibi erit usus aut prærogativa. 579

Quorum res cunctæ ab unius aut alterius amici consilio, auxilio, aut liberalitate dependent; cui eidem tamen mors aut infelicissimi casus ad momenta singula impendent: eorum res pariter omnes quoq; corruunt, tenui hoc rupto filo. 580

Tutò & felicissimè Deo nos concredimus: qui si juvandum est, millenos mille auxilij modos habet, si docendum, ipse sapientia est; si delectandum, ipse gaudia, pulchrum & delectabile omne possidet. 581

Deus pudefieri non vult suos apud incircumcisos, ut in auras evanuisse tot preces eorum dicant; sed cum morulâ aliquâ, eaque ijs non inutili, retribuit patientiam gratiâ; cæteris illusionem irâ: ut qui multa viderunt, audiverunt, legerunt; perijsse quidem ac interijsse superbos impieque divites, deletas quoque aut humiliatas injustæ- 582

rum familias. Nunquàm verò piorum prolem extinctam, aut perpetuâ paupertate depreſſam meminerint.

583 Non pereunt precum, lachrymarum, diſciplinæ, boniquè exempli filij; ſed ab indulgentiſſimo Deo, reditum, reſipiſcentiam, & divinæ virgæ correctionem, ſi quid in ijs mundus corruperit, impetrant: ut innoteſcat eiſdem vindicta impietatis in tres, pietatis benedictio in mille generationes.

584 Magnum eſſe oportet, cui non potis ſit reſiſtere is, qui in animo volvit, brevi & hoc & cuncta alia deſitura mala.

585 Deo omnium divitiarum poſſeſſori pretioſius nihil eſt homine; quo delectatur præ omnibus reliquis ſapientiſſimè pulcherrimeque creatis ſuis.

386 Fratris voluntas ſatis eſt pro mandato, precesque fraternæ magis quàm Tyrrannorum juſſa urgent.

587 Benè precandum benefacientibus.

588 Qui tantillum à ſacris Biblijs abeunt, & diſtant, odio habeantur extremo: amentur verò, qui cum ijs ſunt, & ſentiunt.

589 Simplicium credulitate ne quis abutatur, caveant qui authoritate aliquâ valent.

590 Tribules graviùs affliguntur, quoties à ſe invicem

invicem publico distrahuntur malo; quàm quos ipsum malum premit propiùs.

Pauper non est, cui ad vitam honestè ac commodè degendam nihil deest. 591

Pauper esse non potest, quem Deus vult alere. 592

Ad sequendum Christum, sufficiat una hæc vox sequere; tam præpotens, ut eâ auditâ, Matthæus & Zachæus opum suarum obliti, sese ad apparentem pauperem Christum illicò adjunxerint, eumque secuti sint. 593

Homines plerunque de eâ temperaturâ sunt soliciti; ne mundum offendant, & Deo satisfaciant. 594

Deum oportet videri ineptum, ridiculum insano mundo; oportet reprehendi, exagitari etiam, persecutionem pati; cujus vindicta, cui ultio, qui millies auctiora hominum scelera adæquare potest. 595

Provident, sibi quid eventurum sit, Deo si serviant homines; cur non itidem si mundo? 596

Cùm vix decimas exegit, penè mendicatur Deus; in res vanas impiasque profusè prodigi, consulimus, examinamus, disquirimus, dubitamus, hæsitamus, ruminamus, mutamus & terimus malè multos dies. 597

598 Humana ratio, in mundanis plerunq́ue est securissima: in divinis verò scrupulosè curiosa & diligens.

599 Nuspiàm magis offenditur Deus; quàm si negotia ipsius metimur, numeramus & ponderamus in ea quæ facturus est, inquirentes.

600 Humanæ miseriæ summa est, sibi relinqui à Deo irato.

601 Quàmprimum homo ratiocinari incipit, tum seipsum infelicissimè defatiget struendo laboriosum aliquid, quod ventus quisq́ue proximè exoriens, disturbet; eumq́ue revolvere faciat Sysiphi Lapidem.

602 Faciat Deus quicquid voluerit, bonum erit: faciat mundus quicquid potest, malũ erit. Involutum ergò sub cruce bonum à Deo potiùs accipiamus, quàm â mundo tenuissimâ boni umbrâ tectum malum.

603 Pulvis qui ex terrenis commotionibus exoritur, facilè sese insternit; & horrida reddit, obsitaque sancta etiam pectora, coram facie Altissimi.

604 Centuplum â Deo recipimus, quoties ei nos dimidium aut simplum damus.

605 Antiqua virtus, ex patriæ & Reipubl. cõmodis gaudia sua metita est; rursumq́ue ad incommoda ejus summè indoluit.

Qui

Qui Iesum Christum Politiæ nostræ. & universæ vitæ fundamentum basinque habemus; felicitatem vel infelicitatem nostram, in cunctis negotijs ab ipsius regni incrementis decrementisvè, ac Christianæ regulæ observatione æstimare, infallibileq; expetendarum fugiendarumque rerum judicium petere debemus. 606

Primæ Ecclesiæ, prima cura fuit; ut ei cum Christo optimè conveniret: quæ nempè non præsentium brevitate afficeretur, sed futurorum æternitate caperetur, penetraretque illuminatis fide oculis, rerum humanarum cunctarum vitrum, & spiritualibus perpetuò, non autem corporeis, carnalibus, terreis infigeretur. 607

Ex vitæ blanditijs, quàm minimum ad nos redundet: nostraque tanquàm aliena possideamus, & in rerum omnium affluentia, votorumque expletione, mediocria expetamus, nobisque sumamus. 608

Quicquid solidè bonum, quicquid divinum & sublime; primùm suis à Deo communicatum est, & hinc ad alios derivatum. 609

In bonorum suorum æstimatione sursùm numerent homines; prætiosioraque judicent, quæ Deo propinquiora sunt.

Dei, Sathan ineptus impiusque æmulus 610
est:

eſt:qui ſuos opinionum infinitate,volupt-
tum multiplicitate,vitæque laxitate ita d
tinet, ita cæcos rerum judices facit; ut
pſum & terrena ſordida primo, Deum p
ſtremo vel nullo planè loco habeant; ſ
admirentur,atque ſolicitè tractent,ſuperi
ra deſpiciant,ſcientiam faſtuoſiſſimè me
tiantur,ipſos ſcientes extremo odio proſ
612 quantur.

Superbo ſolio imponuntur,ac primę d
tur,Sathanæ inventione mundo immiſſi
quæ ſcilicet terram propiùs attingunt,
corporibus noſtris benefaciunt. Animatur
verò propria & ſalubria poſtponuntur.

613 Ij etiam,qui non planè mali, conſuet
dinis,&creberrimorum exemplorum vitio
ad ea citiùs,quæ præſentia ſunt, quàm qu
futuro tempore apparebunt,abripiuntur.

614 Dignitas & infelicitas omnis Reipublic
conſiſtat in vero Dei cultu primò; deind
in juventutis egregiâ inſtitutione.3.ægrot
debiliumvè curâ.4.Civium honeſtate.5.Ar
tium ſcientiarumque bonarum propaga
tione,atque ita conſequenter, initio à De
ſumpto,per animam ad corporis ſanitaten
deſcendatur,ad exercitia,victum, amictum

615 Abſoluti regiminis affectatio, divina
poteſtatis æmulatio, â primi hominis ſu-
perbiâ

perbiâ in nos derivata eſt;ut invitiſſimi Deo ſubſimus, illique rationem actionum noſtrarum reddamus.

Tanta noſtra eſt vivendi libido ad libidinem;ut qui corde ac conſcientiâ Deum negare non potuerunt,ore tamen ſuſtulerint, & hinc qualemcunque vivendi moriendiq; ſecuritatem quæſierint. 616

Deus negatus abnegatusque, præſentiam ſuam exemplorum horribilium,ſimul ac ſuaviſſimorum multiplicitate & frequẽtiâ probat;horum fidelitatem liberaliſſimè remunerando, aliorum impietatem ſeverè puniendo. 617

Ita pleriſque confeſſio divinæ Monarchiæ inviſa eſt, ut veluti ingratam materiã prætermitti eam, aut alijs ſermonibus dilui, vel oblivione etiam honorem Dei temperari velimus. 618

A politicorum noſtrorum impietate; prudentia, religioque noſtris temporibus, cohibendis hominibus, non honorando Deo,multis in locis adhibita eſt:factumque Reipubl.arcanum,quod Deo erat debitum. 619

Simulator impotentiùs, religioſus tranquilliore vultu,voce ac geſtibus Deo ſervit; tanquàm eidem familiaris. 620

Quàmprimùm religio humanum quid- 621
dam

dam fit; incipit ſimul etiam eſſe civilit
geſticulatio, lucrum.
622 Nihil adverſum, moleſtum ac inopin
tum accidere poteſt ei, qui mortem, n
gentilium modo deſpicit; ſed ut vitæ janu
tranquillitatisque portum ſuſpicit, ven
ratur, præſupponit.
623 Omnes humanæ conſolationes, in
plerunque coincidunt; ut mortis terrore
leniant, eximantque.
624 Vir bonus & fortis collabente patriæ d
core, unà corruere; ac poſtremo virtutis
goni intereſſe, nunquàm reformidat.
625 Amici Dei gaudent ſemper, tranqui
ſunt & felices: infelices ſemper ejus inimi
trepidant, dolent, cruciantur.
626 Amici Dei dicuntur, quibus non tantù
cultus divinus, & ante omnia ſalutis doctr
na, cordi eſt: ſed qui ab hoc principio, in r
liqua ſua voluntatem divinam derivant: e
cuncta metiuntur; & ad eam omnem Re
publicæ ſtatum, & formam accommodan
627 In Republicâ optimè conſtitutâ; erun
magiſtratus, pater, paſtor, vigil: Subditi, fili
fratres amici. Superiores maximè labora
bunt, curabunt, etiam orabunt; non pluri
mùm abſument, dilapidabunt, abligurient
Inferiores maximè diſcent, requieſcent
mul

multiplicabuntur; non brutales relinquentur, non exagitabuntur, non mactabuntur

628 Caput reliquis excellat non ædificio, vestibus, cibis, equis; sed prudentiâ, sapientiâ, religione, laboriositate.

629 Membra capiti parebunt, non ad libidinem, luxum, crapulam; sed ad laudandum Deum, defendendum patriæ honorem, adque propaganda laudabilia quæque.

630 Erexit Deus populum suum ex tenuissimis principijs, supra omnes terrarum populos; & beatissimo loco repositum, omnigenis optabilibus affluentem, victorijs terribilem reddidit.

631 Christi Regnum, Cruce potiùs quàm terrenis opibus triumphat; tantoque fulgentius futurum aliquandò, quantò fortius hic plurima patitur.

632 Christiani regni civibus, nec polliceri quæ hic felicia sunt, & florida judicantur, omninò possumus; nec denegare prorsùs.

633 Qui non Corporis, sed animæ, solicitudinem profitentur; corpore interdùm, animo semper-semper felicissimi, & gaudentes, ab omnibus suis molestijs majorem triumphandi occasionem sumunt.

634 Tum demum admodùm infelices fiunt Christiani, cùm animabus ipsorum insidiæ tendun-

tenduntur, eæque in periculum conjiciuntur; retrogrado rerum faciendarum ordine serie universâ frequentiùs.

635 Animum occupantibus curis humanis tepescit is simul, frigescit congelascit, & obriget planè, necessitate quâdam; nisi manu divina succurrat, & à cœlesti igni tam concreta pectora colliquescant.

636 Sathan laboriosus, hiscenti rimulæ facilè se intrudit, & impudentissimè ingerit; authoritate, exemplo, consuetudinibus: à capite plerunque initium sumens, quò sibi subacto, dimidiâ vulgi parte ampliùs statim collapsum est.

637 Vt cujusvis magnatis ingenium est, tales quoque sunt Sathanæ insidiæ; adeò tectæ, ut damnum indè emergens, non nisi post tempus appareat.

638 Vbicunque fama, & applausus nationum principi favent; illûc totus & impotentiùs inclinat, minùs commodis suorum & futuri attentus.

639 Qui non cœlestis præmij spe, aut infernalium tormentorum metu benè agit; sed suo motu, & boni sivè Dei amore puro, ad bonum incitatur; hodiè non est, aut homo non est, aut si homo est à reliquis hominibus plurimùm abest.

Fien

Fieri facilimè poteſt,ut qui ſinguli intra ſe Deum nullum agnoſcunt ; junctim tamen religioſum aliquid & eum qui apparet Dei cultum repræſentent ; eisque hoc totum,quod cum Deo homini intercedit, tantùm commodum commentum & fabula utilis videatur. 640

Inepti homines,nihil ſupra ſtultum vulgus ſapientes ; quibus ſi cum ſupremo Falconario, ſtabulario, cubiculario, janitore, ſortem commutare integrum eſſet ; næ illi Deum, altaria, Biblia & quicquid cœlum reſipit,promptè relinquerent. 641

Nunquàm ſe ita humana infirmitas attemperat, ut ab eo, qui ſe ſubmittit (Chriſto) qui minimùm in rebus noſtris petit, qui facilimè omnium acquieſcit, qui omnia patitur, omnia benè interpretatur, ſemper orat, nunquàm ferrum ſtringit, ſemper eſurit,nunquàm plenus eſt, ſemper friget,nunquàm benè veſtitus incedit,ſemper ſervit,nunquàm liber eſt; ab eodem,qui omnibus rebus deſtitutus videtur, omnia quæ humano generi neceſſaria ſunt confidenter petat & infallibiliter expectet; ejus auxilio contra potentiſſimos hoſtes, ejus conſilio ad regendos populos, ejus alimentis ad paſcendum multitudinem, ejus medica- 642

dicamentis contra omnes morbos, ejus benedictione ad felicitandum terrarum orbem utatur.

643 Vllum vix unquàm seculum adeò sibi confidit, minusque consiliorum cum Deo communicare voluit, quàm nostrum.

644 Philosophia, res quales sunt, non quales videntur, ostendit; quæ sublatâ confusione, ordinem, & illam auream cathenam è cœlo ad terras usque demittit.

645 Consiliorum humanorum errores ad eā quæ hodie apparet, molem excreverunt; nulli hominum dirimendam tollendamvè.

646 Iurisprudentiæ officium erat; cœtus humanos ita conservare laudabiliter, ceu quæ absentis Dei voluntatem exequeretur, quâ Dei possessio administraretur, Dei populus contra adversam partem defenderetur, aleretur, propagaretur.

647 Statim atque humana malitia legibus eludere, & libidini suæ, boni colore quodam satisfacere adinvenit; tantùm subitò juri negotium datum est, ut æquum iniquo pellendo par non fuerit. Sed & æquissimi hominum, iniquitatem ipsam cum æquitate committendam censuerint.

648 Mali omnis summa & compendium est; quod Dei amicitiam aut repudiamus planè, aut

mè, aut postremo loco habemus; nec dum bene nobis est, sartam tectam eam conservamus.

649 Cùm Deus ulcisci se cogitat, perituris apertam omnibus cæcitatem, sensumque præposterum immittit; ut infelicissimi felices se dicant, & mentiantur, malintq; cum amaro Dei odio perire, quàm in gratiam cum ipso redire: non prius deponentes, quos contra Deum sumpserunt spiritus, quàm animam.

650 A Dei amoris centro, & humanæ simplicitatis puncto egressi, deferimur ad ingeniorum ventosas, fumosas & laboriosas spiras.

651 Ex verbo Dei saluberrima petamus, remedia petita adhibeamus nobis, adhibita diligentissimè reponamus; sanitate restitutâ, ijsque repositis, Deo nostro tanti, tamq; nobis necessarij operis gloriam demus.

652 Desinamus esse fortes, prudentes, scientes, & structuram nostram Babylonicam demoliamur; extruamus verò novum ædificium, in quo fundamentum & lapis angularis sit Christus; basis, petra illa totum idolum nostrum comminuens; cujus fulcra Christiana charitas, simplicitas, fides, patiẽtia;

tia; & erit nobis pax, ſalus, incrementum, quies, honos, durabilitas.

653 Initium â reconciliatione divinâ fiat, præparatâ juventute ad ſervitium Dei noſtri, virtutumque Chriſtianarum ingreſſum.

654 Mentis conſternatio, incogitanter actorum pudor, aut convenientis remedij tacitum votum; è rebus dubijs neminem eripiunt, aut tutiori loco reponunt.

655 Nihil omninò tam ſublime atque admirabile, quod exoratus â nobis Deus præſtare non poſſit; vix quicquàm laudabile quod non velit, dum filij dilecti Chriſti regnum accreſcat: nobis etiam ex miſericordiæ pacto haud facilè quæ bona ſunt, ſolida atque vera denegat.

656 In re nobis, quàm vitâ magis neceſſariâ; vota, preces, & deſideria jungamus, ad impetrandum expeditius, & in Deo ſecurius vivendi genus atque tempus.

657 Reperto velo, quò virtutis & Dei oculi obteguntur, ſcelera facilè impudentiſſima animos reſumunt, remittit pietas.

658 Hominis antè infamis famę non eſt parcendum; Dei famâ neglectâ.

659 Maximi ſit libertas terræ ſuæ principi pru-

prudenti; quàm ablatam vel tentatam graviter reſtituat, reddat.

Libertas patriæ; malos aut bonos reddit, 660
aut invitos cohibet: quam princeps planè
poſteritati debet; ut perpetuam boni quaſi
neceſſitatem habeat.

Bono principi ad decus, ſubditis ad feli- 661
citatem nihil deeſſe; Malo verò ad lubitum
nihil adeſſe; una ſecuritatis & diuturnitatis
in Republ. via eſt.

Luxus ſumptu vix comparabili conſtans, 662
in ſe ſolidi nihil; adverſi Deo quàm pluri-
mum habet.

Indecorum eſt, Germanum pectus, Gal- 663
licâ, Italicâ, aut Hiſpanicâ mollitie eſſe coo-
pertum.

Perfectè & promptè ſuccurrendi metho- 664
dus, requirit cognitionem morbi periculo-
ſi, & cauſarum ejusdem.

Dei cauſam agentium, poſteriores aut 665
planè nullæ hodie ſunt partes. Dantur enim
omnium primæ, qui ſua, vel cum univerſi
orbis damno commoda quærunt.

Nobiles, hominum genus ad exorbitan- 666
dum proclive.

Tale eſt humanum ingenium, ut ſemper 667
ſocordiâ ſuâ ſibi onus imponat; quod odio
poſteà habet, & clanculum inſectatur.

668 Non nobilitas, sed inter nobiles boni diligantur, deligantur.

669 Qui inferiorum & plebis contemptum penè cum primo lacte imbiberunt, qui insumere potiùs quàm parare assueti sunt, qui quovis titulo abundare potiùs quàm cum honestate indigere didicerunt; non benè Christianæ politiæ præsunt.

670 Infelix semper sapientibus visa est conditio principum, quandò rerum penè omnium inscij educantur; vivant, moriantur, neque facile aliud ipsis objiciatur, nisi quod splendet, quod fucatum, simulatum, mentitum: cujus si unquàm nunc passim obvij sunt exquisiti artifices.

671 Ex parsimoniâ vectigal.

672 Sub humanâ principum spe, & imbecillitate, mortalibus plurimùm commodi, si boni; incommodi, si mali, latet.

673 Animo indulgentes, paulatim animi cõsternationem ingrediuntur.

674 Emarcescimus & suffocamur infeliciter in umbrâ errorum nostrorum, excrescentiũ in proceras arbores.

675 Nunc, nunc, eradicanda eruendaque de quibus admonemur.

676 Versatilia ingenia ijs nunquàm desunt; qui

qui ventrem Deum adorant, variorum machinamentorum & agilitatis præsidem.

Ea principum est felicitas, ut ad eos optimi hominum confluant, & de optimo cum ipsis communicent; modò velint, eos ferant, aut provocent. 677

Miserrimi, qui ex optimâ commodè sibi faciendi licentiâ ea deligunt; quæ plùs molestiæ an jucunditatis habeant, omnes unà cum ipsis homines addubitare meritò possint. 678

Non otiosum aliquid est multis præesse, multis prodesse, multis interesse; sed tale quid, quod nemo velit esse nisi Deus imponat: haudquaquàm ita â Deo constitutum, ut unum hominem vix aliquot mille alāt: sed ut unius aliquot mille hominum necessitatibus oneret humeros. 679

Corona laboris non desidiæ, sertum vigilantiæ non somni, torquis fidelitatis non otij, schola abstinentiæ non abundantię, palæstra precum non deliciarum; aliquandò nitebit, virebit, rutilabit, candebit, olebit, clarissimè, jucundissimè, fulgentissimè, ardentissimè, suavissimè. 680.

Maximarum inconvenientiarum fructus protrudit, infructuosa auxilij apud homines imploratio. 681

682 Ab inquietudine remedium petit ægrotans: ita animæ nostræ morbus.

683 A vultu principis penduli, quò videtur inclinare, cò trepidè dependent; soliciti, ne dissentiant; quibus ideò peccare non potest, etiam dum peccat; neque cum benè agit certus esse ab eorum approbatione: quod semper approbent; nisi affectato aliquo, callidoque libertatis genere, nonnulla interdùm sed innocua tantum reprehendant, dolorum & adulationis magistri.

684 Mundus tantâ cæcitate, tantâ surditate laborat; ut quicquid tentes opera pereat: estque discipulus, quem frustra Deus, Christus, prophetæ, Apostoli, Doctores, Martyres, sapientes docuerunt; & quo desperato tandem abjecerunt.

685 Vbi diabolus caput est; ibi mendacium, malum, inscitiam, errores, confusionem, & ea omnia quæ in mundo apparent, adesse oportet.

686 Vbi humanum ingenium terræ præest; ibi incertitudinem, miseriam, labores, vanitatem, levitatem, curiositatem, gesticulationem, otiosas, inutilesque artes & similes humani cerebri vespas obvolitare necesse est.

Relicto

Relicto bono & vero, nihil ultrà est, quod hominem beatos scientesque faciat. 687

Arenæ ædificatores, pulveris coacervatores, nivis extructores, palearum cumulatores; aqua, aer, ignis & terra delebunt, nec quid agant ultrà, aut quod sciant, relinquent. 688

Deus à nobis derelictus aliquandiù subsistit, & precibus, deindè minis, pœnâ & leni castigatione, nonnunquàm vicinorum exemplo nos revocat. Reluctantes autem ita tandem deserit; ut unà secum religio, pax, felicitas, fæcunditas, fama, scientia, justitia, fortitudo, & universus virtutum chorus finibus nostris excedant; inque locum eorum omnia mala subeant. 689

Deus ultor facillimè flectitur; qui à mundo condito neminem verè pœnitentem sinit perire. 690

Non pœnitere est facti saltem pudorem habere, de reliquo pergere tritâ viâ; & id unum affectare, ut malè nobis etiam agentibus, pacatum habeamus, & servemus Deum. 691

Si Dei reditum exoptamus, agnoscendū delictum, & removendum, tollendaque illa idola, quæ Dei oculos averterunt; & è templo domini ejicienda, confringenda, com- 692

minuenda, in aërem denique spergenda sunt.

593 Nihil nobis adversum est, aut esse potest, quàm Deus: qui offensus totam secum trahit naturam.

594 Vt eum, qui tot bona perpetuos habet comites, lucrifaciamus, attrahamusq; ; impendamus libentissimè omnia nostra, etiam corpora ipsa: quo pro nobis stante, nihil esse poterit contra nos, nec non natura rerum ad voluntatem nutumque nostrum sese inclinabit.

595 A Dei invitatione, & regiminis societate initium faciant principes; quoties terrarum suarum incommoda sentiunt, sublataque volunt; etiam Dei arma majoris faciant quàm alium quemcunque potentem adversarium, & hujus vires illorum infirmitas vincet.

596 Multùm interest, pro te an contra te Deū habeas: cùm ibi sub universi mundi ruinâ, & hostium omnium conglobatione securè consistas; hic â muribus etiam & pediculis tutus non sis, nec tam minutum quicquàm, quod tibi nocere non possit, orbis contineat.

597 Boni, pij, Christiani Principis nomen laudesque appetenti; præ cibo, potu, somno, vestibus

vestibus atque ædibus, incumbit, ut anxiè laboret despiciatque, sibi cum Deo, eique secum conveniat.

Si in sessione, sermonibus, titulis, in equi phaleris, & gemmato habitu princeps se agnoscit & ostentat. Quantò magis, cur Princeps à Deo constitutus, quibus legibus institutus, sit scire ipsum, & in singulis actionibus ponderare convenit: cujus nunquàm sine maximo suo delicto, subditorum irreparabili damno obliviscitur. 698

Erroris comes periculum; quo detecto & patente, ultrà cunctari aut obrigere imprudentis non est, sed stupidi aut omninò indurati. 699

Quis ille erit, qui hiscere ausurus est contra eum, qui Deum tam gloriosè introduxerit, ut juditijs suis justitia præsit, sapientia apud eum doceat, temperantia pascat, fortitudo tueatur? Quis erit, qui resistat ipsius conatibus, quis iter ad supremum fastigium impediat? 700

Si Deum arcibus præficias, quis expugnabit? Si cum Deo arces obsideas, quis defendet? Si Deum in acie sistas, quis pugnabit? Si Deum agriculturæ admoveas, quæ terra non centuplum proferet? Si Aca- 701

demiæ Deum præponas, quis ibi nesciet? Si urbium regimen Deo committas, quis civis non bellissimè perfuncturus est officio suo?

702 In Deo omnia habemus; bellatorem invictum, Iudicem justissimum, doctorem omniscientem, agricolam optimum.

703 Amici Dei, quàm vilissimi etiam rerumque nescij apparent, conquirendi: inimici Dei, quamvis splendentes, scientes, docentes, & mille artes pollicentes, fugandi. Minimè verò sustentandi, & liberaliter habendi.

704 Christi vita tota latet, leviterque producta ridicula est. Scilicet ineptiamus prius, tumultuemur, discurramus, post ubi cœlos ingredi necessum est, cælica meditemur.

705 Cœlum tam pulchrum & aspectabile, quondam imperij nostri ingens portio, Rector nobis atque tortor impositus est; tàm corpora nostra morbis infinitis affligit, quàm animos (vel imaginationem) etiam, diversis erroribus ambagibusque exagitat.

706 Vt Christus astris nequaquàm se subjecit: ita quotquot nomini ipsius nomen dant,

dant, omnes eos illorum etiam imperio tyrannidique eximit penitus.

Qui metuunt cœlum, illique victas porrigunt manus, in Christum suum & libertatem Christianam sunt injurij. Qui verò stellas quoque consulunt, & ab ijsdem de se judicium vaticiniumque exquirunt, blasphemi ac planè intolerabiles. 707

Non tantùm regulam ac regimen vitæ in Christo; sed sollicitam etiam nostri curam, boni affluentiam, mali aversionem, felicitatis omnis summam atque compendium habere possumus. 708

Abjectâ & impiâ curiositate cœlestium corporum vires inquirere, Christi protectioni & custodiæ est diffidere, ac supremæ, quæ unis Christianis concessa est libertati renunciare. 709

Astra, Christianæ invictæ arcis desertores, & ad se transfugas, severè excipiunt, serviliter habent, & ludificationibus varijs exagitant. 710

Quicunque Planetarum potiùs quàm Dei filij esse satagunt; quibusque Christus satis non est, ut vitam omnem à natali ad mortem usque felicissimè, sapientissimè, salubèrrimè dirigat, sed arcanum cœli con- 711

filium explorare libet; ij bona, magnâ spe meritò frustrà exspectant, mala ingenti trepidatione metuunt miserandi, quòd cœlo se malunt quàm Christo accommodare.

712 Astrologia ut plurimùm persuasioni, opinionibus ac aphorismis gentilium innitens, ignorantiâ, incertitudine, imposturis, latibulis, & effugijs plena scatet.

713 Quoties Astrologiæ falsa, cum veris Theologiæ; dubia cum certis, lubrica cum firmis, vana cum solidis, impia cum sanctis committentur; ostensa aliquantulùm & producta Christiana inclarescet libertas, sordebitque servile ac puerile Astrorum jugum.

714 Non feramus eos, qui tam nobilem animam, tam nobilitatum magisque nobilitandum corpus, ad miseras creaturas ablegant, examinant & dijudicant.

715 Christianus nil facilè admirabitur, nisi Christum suum summum miraculum; & cùm omnes homines amat, paucos & in ijs pauca laudabit.

716 Non animæ tantùm â cœlesti ortu cum Deo cognatio; sed corpori cum Christo consanguinitas est.

Homo

Homo nunquàm nisi Christi sui veste tectus, involutusque in conspectum, cœlestis prodit Patris; tanta est sordidi Adami in Cœlesti regiâ, Christique regno invidia, nausea & odium. 717

Christiano, familiaritas erit exigua; ut quæ sordium secum fert plurimum, & internam illam cum Christo, & animâ familiaritatem interturbat maximè. 718

Mundus quibus ut plurimùm utitur, quos promptos habet, quosque evehit; non tamen minus ridet, cavillatur & inimicitijs exercet. 719

Gloriosum id tantùm odium est, quod odio Christi in Christianum derivatur; quò minimè commovetur, deturbatur, ringitur; quod Dei dilectione largiter recompensatur. 720

Matrimonij felicitas â domino est, & felicitatis humanæ punctum. Infelicitas, mors sine morte, ac inferni prælu-dium. 721

Sacrum conjugium, quod animæ cum corpore; sacratius, quod sanitati fidei cum sanctitate vitæ; sacratissimum quod animæ sponsæ cum sponso Christo est, ac internæ conjunctionis vincula exigit: utrobique 722

maris jus & fœminæ debitum; quæ quisquis confundit, concentum jam solvit connubialis dulcedinis.

723 Abundè miseriarum ubicunque divortium in his locum obtinet; sterilitas ubi cælibatus. Cùm verò conjugium, tum dos: atque primi sacra tranquillitas, secundi adoptio beata, tertij gloriosa æternitas; quibus felix Christianus, non conjugium habet, sed perpetuas nuptias.

724 Quicquid reliquis mortalibus dominatur, Christiano servit.

725 Hâc ætate inter homines bestiarum plus est, quàm hominum; curaque major quàm hominum.

726 Christiano cum bestijs multum negotij erit; ut quem modò hominem facies dixit, mox maledicum canem, lascivum hircum, impuram suem, imperitum & pigrum asinum, lividam serpentem, experiatur.

727 Renato nec ullum conducibilius erit terris cæloque munus, nisi pastorale; quod Patriarchale, regium, propheticum, Apostolicum, Christianum.

728 Non est cujusvis, sed nec optimorum omnium, ita se ab omni terreo abstrahere, ut

uni

uni Deo vacent; utque ijs carere possint quibus alij indigent, gaudere in ijs, quæ alios contristant, sapere ea quæ alijs apparent insipida.

Desinant ineptè de renato suspicari, eum futurum otiosum aut omninò suum. Nam cui charitas pro officio est, nunquàm otiabitur, habebitque fortassis Architectum Respublica, opifice eâ carente & operario. 729

Renatus est Sacerdos, cujus stola innocentia Christi; oblationes, preces; suaves odores, charitatis specimina; altare proximus; templum cætus Christianus; sanctum sanctorum, animæ cum Christo cohabitatio: quibus dignitatibus excelsus, triumphabit æviternùm. 730

Ecquid fortuna faciat, aut quid minetur, homini immobili, & omni, nisi Christi imperio, exempto? 731

Thesaurus thesaurorum verbum Dei est; cujus complexu quicquid orbis terrarum habet pretiosi comprehenditur; in quo machinæ totius sapientissimam structuram, rerum futurarum præfigurationes, temporum admirandam harmoniam, & universum cum Christo concentum repe- 732

rire possumus : verbum tonans, seipsum probans, sibi semper conveniens, intùs convincens ac commovens.

733 Quidni dives sit, cujus bibliotheca est liber scripturæ, liber vitæ, conscientiæ, naturæ, cuique Deus, natura, ac creaturæ omnes opes suas communicant?

734 Vnicæ ad rectam viam impetrandã commoditates supersunt; parentum probitas, loci opportunitas, temporis felicitas, educationis sedulitas, institutorum conscientia, piorum preces, occasionis devitatio, laboris assiduitas, ætatis maturitas; sed supra cuncta crucis exercitium: quæ ita confringunt nostræ malitiæ luxuriem, ut vel inviti tandem & sub jugo sapiamus.

734 Facilior est pugna, & victores nos citiùs relinquunt necessitas abstinendi; quàm cujusvis mali copia, licentia.

735 Nuspiàm miseriùs & indigniùs servit homo; quàm ubi seipso suaque vanitate ligatus, ipse sibi servit.

736 Tanta virtutis inter mortales est commoditas; ut ei, vel nobis inscijs, tota Reipubl. moles innitatur.

737 Dolẽdum, cùm Respubl. æterna sit; æternos

nos quoque eos non esse, qui eandem optimè administrant.

Plerunque non agnoscimus quos possidemus curatores Reipublicæ, firmatoresque; multo minus annotamus, quo illi modo tantùm onus sustinuerunt, maturè oblivìscentes formam ab ipsis institutam. 738

Boni quicquid ubiq; terris superest, bono simplici, recto, verisq; virtutibus debemus. 739

Artes quibus indomitum vulgus cohibendus; sed inprimis tam efferus & diffluens hominis animus cicurandus, hodiè raro exaudiuntur. 740

Vestigia eorum qui rectè ambulârunt, magnâ sagacitate indaganda; ut quâ illi viâ tot tantùm, toties profuerunt, eâdem contineantur; retentâ semper commoditatis, felicitatisque è simplici, recto, bonoque redundantis recenti memoriâ. 741 742

Genus hominum ab origine suâ liberum ac sublime, primo fastu humiliatum vinctumque est.

Homo imperans, monstrosissimæ libidinis executione, intolerabilis, & in promiscuâ libertate informe licentiæ chaos introducit. 743

Tametsi libertas, tam liberaliter in naturam 744

ram se diffuderit, ut inquisitores de præsentis vitæ commodiore usu abundè, & cum pudore instruere possit: attamen nuspiàm meliùs, expeditiùs, quàm in Ihesu Christo rerum omnium scopo, & fine inveniri potest.

745 Quoquo modò conversationis civilis forma ineatur; ubique exercendæ malitiæ abundans erit materia.

746 Qui ab hominum contactu & affectu semoti vixerunt; vitæ talis assueti, liberrimos se hominum testati sunt.

747 Homo â seipso liberandus est: posteà ubi ubi ambulet, & in confertissimâ turbâ, solus, & in cunctis carceribus liber erit, ac in vacuo quasi habitabit.

748 Plenus vitijs, vanitate, ignorantiâ, opinione, & multarum rerum indomito appetitu, frustrà malum effugiet; quia seipsum effugere non potest; inque abstrusissimum specum sese abdens; simul turbas, commotiones, & cuncta silentio mentis ac trãquillitati adversa, secum infert.

749 Ventris jussu, rationem; unicum nostrum â reliqua creatura discrimen, exuimus.

750 Homines libertatis obliti, imperium sibi ab exi-

ab exilibus corpusculis suis eripi; voluntatem pro lege dominari, imprudentes ac cum pernicie suâ patiuntur.

Vna Christianorum crux, tam versatile & vertumnum Sathanæ caput, facilè exterret, omninò confundit, enervat, conculcat, perimit. 751

[redacted] 752

Multos majorum virtus & nobilitas ita jejunos pascit; jejunè alit & saturat; ut propriæ virtutis solidiori nutrimento nunquàm sibi opus esse persuasum habeant. 753

Quisquis semel vanitatem cordi suo intromittit, impudentem simul ac molestam, posteà perpetuùm exagitantem, nec facilè expellendam hospitem accipit; cujus etiam exigui impetus metuendi. 754

In scientiæ humanæ investigatione, quò quis magis proficit, plùs eò desperat ampliùs; scitque tum minimè, cùm plurimùm se scire arbitratur. 755

Meliorum ex gentilibus vita, quòd cum vero summo bono (Christo nostro) nil communicaret, sibi relicta est; & sectato- 756

res

res suos pulchritudine, famâ, & exemplo s
tiavit: exprobrando nobis instituto, qui nc
stra in Christo bona ita malignè ignorat
volumus.

757 Paupertate voluntariâ, in his terris nih
ingeniosius, felicius & ad superum iter ex
peditius.

758 Infelicitatis mater, mortis oblivio; qua
infinitis delectationum, agitationumqu
occupationibus affectamus; cujusque me
mille mortes alias, vincula mille subimus:
eo ipso quo invincibiles sumus, vinciendo
nos turpiter damus.

759 Philosophus ratione, conscientiâ, amic
tiâ, coronâ, sceptro, sigillo, rex mortalitat
est.

760 Nemo in hoc magno universo magnu
felix, bonus, sapiens, dives, dominans, libe
nisi Christianus; Christi sui, filius, frater, a
micus, divinæ possessionis cohæres, angelo
rum nunc cura, aliquandò judex, Sacrosan
ctæ Trinitatis delitium.

761 Credere Deum omnipotentem, omni
scientem, omnipræsentem, justum, & mise
ricordem, & hanc fidem reipsâ contestar
Humanam verò rationem, nō audire, sum
ma sapientia est.

762 Animus iste nimiò vacuus est, quē Deu
no

non inhabitat; nimium à reliquis dissentit, qui cum Deo opiniones suas nũ conjungit; nimium solitarius est, qui nec à Deo invisitur; illiberale experitur hoc universum, si id ei â Deo sit interdictum; malè solus ambulat, qui vias Dei non novit. Deniq; liber nimium est, qui Dei legibus solutus vivit.

Errantium, non cohibenda, corrigenda, 763
clamosa & strepera multitudo; violentiâ suâ aut abripit omnia, aut reluctantibus vitam omni morte amariorem reddit.

Christiano serviat, quicquid ubique re- 764
rum est; ille saltem nemini servit, & â seipso sibi etiam maximè cavet.

Animæ aut nunc prospicere oportet, aut 765
nunquàm: & brevitati huic datum est corpus, ut æternitati consulat.

Magnates â Deo ad magna onera electi, 766
sed ad majus & periculosius examen reservati; foris corporis miserijs ac incommodis alijs pares, intùs magnis perturbationibus, commotionibus; hominum exagitationibus: tum verò rationis obnubilationibus, ac inprimis magnarum vanitatum & excessuum, sive voluntario sive invito servitio, plerisque ex inferioribus infeliciores.

Satis divites, qui Christum possident; is 767
quic-

quicquid sibi adjungit illud ornat excitatque: in Ecclesiaste zelum, in Iurisconsulto conscientiam, in Medico charitatem, in Philosopho modestiam, in Consiliario Dei metum, in Oeconomo integritatem, in Patrefamilias virtutum præparationem, atque intra se hanc atque æternam felicitatem progenerat.

768 Deus dum hominem frangit, eundem ædificat; dum destruit, renovat; dum humiliat, exaltat; dum obtenebrat, novam lucem infundit; dum hominem ab hominum consortio avertit, in cælestium comercium introducit.

769 Divitiæ quæ fontem habent veram sapientiam, non afferunt secum dolorem cùm affluunt; nec pariũt dolorem cùm recedunt. Fontem enim divitiarum possidet, pij & fideles Dei dilecti, sapientiam ipsam.

770 Ter quaterque felix, qui nunquàm Deo repugnat; qui eum sine disputatione & morâ intromittit, & sine dolore possidet, sine metu obsequitur, sine gloriola relucet, sine subsistentiâ, & errore in ejus viâ pergit: Christianum se exertè ostendens, tam nobilem dilectamque Deo creaturam, ad cujus genituram omnes cælicæ Hierarchię exultant.

Gla-

Gladium Spiritus, *Ephes.* 6. id est, divina dicta sumite. 771

Vita omnis Dei unius Servitio, proximi ministerio, animæ curâ insumitor. 772

Mortalium nemo altiùs adscendit, quàm qui adversa etiam veluti bona essent, est intuitus. 773

Quo quisque magis adversa pati novit, eo majore pace fruitur; idemque & victor est sui, & dominus mundi, & amicus Christi & hæres cæli. 774

Vis vocare Deum, præsentem, & præ foribus stantem intromitte, eique te submitte. Imperanti verò nequaquàm mundum associa. 775

O homo intuere justitiæ Solem in Sole, in stellis electos, in floribus Paradysum, in homine miseriam tuam; in Deo Patre gratiam infinitam; in Christo fraternitatem amabilem, in Spiritu Sancto charitatem communicabilem, in macrocosmo providentiam divinam, in microcosmo sapientiam eandem; in multis nisi unum, multamque unamque in te uno excellentiam. 776

O Christe Ihesu, esto boni tutela, mali medicina, superbos deprime, subjectis parcens, hostesque repelle. 777

Zodia-

Zodiacus Christiani Cosmoxeni.

♈. MVndo palàm adversum eat, & ad quā
vis ignominiam conflictum, & inc
piam se non illibenter paret.

♉. Nihil unquàm de hominibus temere ju
dicet; sed arcana Deo suo, sine curiositat
carnisque tillatione relinquat.

♊. Oculos à vano aspectu, linguam ab ine
ptis colloquijs, aures à pravis sonis, palatun
à delicatis cibis, corpus ab otio, animum
divagatione, animam ab omni terrec
quantumvis laudatissimo avocet, & a
Christi severitatem absque excusation
componat.

♋. Odium cum nemine mortalium, ne te
ctum quidem exerceat; & inimicos velut
præceptores reverenter habeat.

♌. Dilectionē singulis diebus, ad minimùn
quoque die uno specimine exhibeat. A mu
lierum verò joculari conversatione, præte
Matrimonij Sacrum & moderatum decus
penitissimè abstineat.

♍. Preces habeat & quotidianas, & frequē
ter

ter : tales etiam, quæ malis ludibrio esse possint; nec illas unquàm â quoquàm, aut ullibi impediri vel minui patiatur.

Iram nuspiàm, nec debitę correctioni adhibeat; sed malum, animi ac linguæ moderatione propellet: citiùs illud, quàm si maledicta opponat, superaturus. ♎.

Iuramentis Christianum honestumque sermonem ne contaminet; nevè odiosas Deo voces, unquàm verbis, moribus & actionibus Deo debitis admisceat. ♏.

Silentio Sacram Dei in se operationem sepeliat: & humile indè obedientiæ Divinæ germen, fideique ardentiorem fructum intra se enasci sinat. ♐.

Eleemosynis sit pro Dei benedictione largus, laboresque quantùm per Familiæ vitam fieri potest, non vendat: sed gratuita manu, se libro Dei inscribat. ♑.

Nunquàm non aliquid Christiani officij in Dei templo, vel singulis mensibus præstet; & inprimis S. Ecclesiam vel manu, vel voce, vel opere ipso adjuvet. ♒.

Verbo Dei frequentissimè se erigat, informet, & exerceat; & cœnæ sacro sancto Sacramento fidem, pœnitentiamque creberrimè obsignet promoveatque. ♓.

Lege

778 Lege hoc quisquis Politicus dicier, magnum putas: *Iacob* 4. Qui estis animo duplici, affligate vos, lugete ac plorate. Risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem, *Adiunge Psal* 12.

779 Non est dignus altâ Dei contemplatione qui pro Deo non fuit exercitatus aliquâ miseriâ. Solet enim præcedens tentatio, sequentis consolationis esse signum. Qui vicerit, dabo ei vesci ligno vitæ, & dabo ei sedere mecum. *Apoc.*2.3.

780 Ipse sibi quisque plus nocet, qui Ihesum non quærit; quàm universus orbis, omnesque adversarij.

781 Fides opera adjuvat; illamque hæc vividam esse ostendunt.

782 Quantò tu plura melioraque didiceris, tantò graviores pœnas lues, nisi eo sanctiùs vixeris.

783 Concessâ tibi rerum cognitione, timidior non tumidior esto.

784 Si vis utiliter aliquid scire & discere; ama nesciri, proque nihilo haberi.

785 Omnis in hâc vitâ perfectio, imperfecti quiddam sibi annexum habet; omnisque nostra veri prospicientia caligine non caret.

Vbi

Vbi judicij dies venerit, non quid legerimus, sed quid egerimus; neque quàm benè dixerimus, sed quàm religiosè vixerimus, exigetur à nobis ratio. 786

Magnæ sapientiæ est, nec in agendo præcipitem esse; nec in eo, quod semel animo concupiveris, pertinacem. 787

Ejusdem sapientiæ est, neque quibuslibet hominum credere verbis; neque audita aut credita mox in aliorum aures effundere. 788

Ne seniorum figuratis verbis offenditor, neque enim temerè enunciantur. 789

Qui animo pauper & submissus est, is in altâ pace degit. 790

Charitas habenda est erga omnes, sed familiaritatem habere non expedit. 791

Tutiùs est audire & accipere consilium, quàm dare. 792

Conducit non parum ad proficiendum in rebus divinis, religiosa de eis collocutio; præsertim ubi homines animo spirituque similes, inter sese in Deo copulantur. 793

Deus certantes suumque favorem sperantes, paratus est adjuvare. 794

Grave est assueta relinquere, gravius suæ ipsius voluntati repugnare. 795

797 Tentationes homini ſæpè valdè utiles, licet moleſtæ; utpote quibus homo deprimatur, purgetur, erudiatur.

798 Vt erga quamque rem affecti ſumus; ſic de eâ plerunque judicamus: facileque privato amore excæcati, verum judicium amittimus.

799 Antiqua conſuetudo difficulter relinquitur; ultra id quod videt nemo libenter ducitur.

800 Scientia inflat: Charitas alijs prodeſt.

Nil Chriſto triſte recepto.

MEMO-

MEMORIÆ

TOBIÆ

HESSII, V.I. DOCTORIS,

Theologi insignis.
Medici Clarissimi,

Viri optimi, piißimi, patientißimi,

AMICI.



Ippocrates vixit meus, ô meus ille Machaon,
HESSIUS, *ægrotis qui fuit arte Deus.*

F 2

Murmurat hîc contrà dolor: Aut non debuit ille
Nasci, aut tam citò non debuit ille mori.
Sed ratio, Similis Iobo fuit HESSIUS, *insit*,
Nì fortè & plures pertulisset iste cruces;
At quia virtutes conculcans degener orbis
Immeritis confert præmia, non meritis,
Exciit emeritum DEUS: & nunc civis Olympi est
Felix, qui infelix HESSIUS antè fuit.

Fecit Thomas Lansius, I.C. & Professor in Illustri Collegio Ordinarius. 27. Novemb. Anno 1614.

B. F.

B. F.



ATIENTIÆ, *ne nescias*
Lector Bone,
Sacræ PIETATIS *&* E-
RUDITIONIS, *&*
VIRTUTIS EXEMPLARI *hodiè deducier*
Funus fatereris; TOBIAM *si in-*
timè
Novisse & in cute voluisses HESSIUM.
PATIENTIAM *ergò quisquis ex*
animo colis,
PIETATIS, ERUDITIONIS, *& sa-*
cræ
VIRTUTIS *arsisti semel studio: accine*
Huic næniam exemplari, & indè co-
gita;
SOLI DEO VIVENDUM IN HIS
TERRIS, DIU
VIXISSE, QUI VIXIT DEO ET
DIDICIT MORI.

Gulielmus Breitbach/ Amico b. m. mœstissimus.

ARGENTORATI.

SIMPLEX SPES



PRUDENTIA FIRMA.

Typis CONRADI SCHER.

ANNO M. DC. XVI.